Philol. 294^c


A

7H/F516

<36605779610014

<36605779610014

Bayer. Staatsbibliothek



Friedr. Aug. Wolf's
Prof. der Beredsamkeit zu Halle und Mitgl. der Kön;
Akademie der Wissenschaften zu Berlin

Vermischte Schriften und Aufsätze in lateinischer und deutscher Sprache.

Funk

Halle,
in der Rengerschen Buchhandlung,
1802.

Wb/66/1069

Funk

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Bayerische
Staatsbibliothek
München

I.

Parentalia sacra
Academiae Regiae Fridericianae
in memoriam
FRIDERICI MAGNI
in a. d. XV. Sept. cIↃ IↃ CCLXXXVI.
celebranda indicuntur.

Diem istum, qui orbis terrarum maximum Regem, communis patriae nostrae optimum Parentem, humanitatis omnis fulgentissimum lumen exstinxit, quem diem, e fastis omnino tolli quum nequeat, in atris et funestissimis omnis posteritas habitura est, quam saepe nos anxia cogitatione venturum praeceperimus, non hic demum nobis edocendi estis, *Commilitones.* Immo satis constat fides Vestra ac pietas in eum REGEM, quem auguste venerari atque diligere in summis hominis studiosi virtutibus

est; neque per superiores menses, quoties fama valetudinis EIUS in deterius inclinantis percrebruit, Vosmet ipsi segnius trepidastis, ne tanto luctui fata superesse nos iuberent. Eundem igitur diem, superstitibus nobis nunc vere exortum, quo tandem animorum sensu feremus? Nempe absumpsit ille animam, unam quidem, sed quae terris concessa divinitus, vim sustinuit millium, in qua amissa quid doleant ac desiderent singuli, nullus umquam interpres mente complecti, non modo effari vel disertissimus poterit. Quippe non res privata nostra periit, periit publica orbis Borussici! quid hunc memoramus? periit cultissimae partis terrarum, Europae, commune decus ac praesidium, FRIDERICUS! Audito uno hoc nomine, quod omnem superat titulorum splendorem et magnificentiam, uti laetitia modo exsultabat quisque, ita nunc aegritudine, moestitia, suspiriis, lacrimis miscentur omnia. Luget REGINA, omni genere sanctissimarum virtutum eminentissima, tanti Coniugis obitu viduata; dolet Is, cuius sacratissimis manibus avitum sceptrum populique sui moderamen reliquit, FRIDERICUS GUILIELMUS; moeret cuncta GENS AU-

GUSTISSIMA; squalent sanctioris consilii Socii, lamentantur proceres exercitus, contristantur terrae, aequabili ILLIUS imperio felices, tot coloniae, EIUS consiliis conditae, beneficiis firmatae, liberalitate ornatae, tot tamque florentes civitates et urbes, indulgentissimo parente orbatae; denique quicquid politissimorum et liberalissimorum hominum est ubicumque terrarum, hoc exstincto lumine paene humanitatis decus imminutum dolet.

Neque profecto patrii soli aut contermini alicuius regni finibus coerceri poterat EIUS desiderium, cuius admiratio et gloria dudum non finibus terrae, sed prope regionibus caeli terminabatur. Quae gloria, scitis, quam admirabili cursu vitae, quam praeclare gestis rebus, quantis in aevum nostrum, et quae deinceps sequentur, meritis fuerit quaesita. Enimvero vixit ILLE non ei tantum saeculo, cui videre EUM et praesentem deveneràri contigit; vixit idem mirisque modis consuluit etiam posteris, qui, si sapient et bona sua norint, multiplicis prosperitatis et publicae et privatae auctorem FRIDERICUM MAGNUM praedicabunt,

Quamquam iis in nullo fortasse principe magis, quam in hoc, annalium monumenta manca tradentur et imperfecta; siquidem illa rarius numerant dies, numerandos utique singulos in hoc REGE, qui nullum non egregio aliquo facinore notavit. Verum utcumque erit, habebit tamen postera aetas, quo huius nostrae, a tanto REGE illustratae, felicitatem aestimare possit. Audiet ea, quantum HUIC uni debeat patria, quantum libertas Teutonica, quantum exterae nationes et ipsi hostes; quid litterarum doctrina et severiora studia, quid artium nitor et elegantia, quid disciplina civitatum et militaris, quid mores denique debeant. Sed in haec ut oratio nostra excurrat liberius, nunc ne exspectetis, *Cives*. Neque eget dolor Vester tam diligenti explicatione caussarum momentorumque, quandoquidem nemo est humanior, quin eum omnium iustissimum esse fateatur. Habet tamen, ut in tali iactura, ex omnibus iis, quos huius calamitatis sensus attingit, quisque fere proprium quiddam, quod doleat in Eo amissum, in quo tam multa amissa sunt. Nos vero, populus, quem utrum ILLE, dum vixit, magis salvum vellet, an IL-

LUM populus, fuit ambiguum*), nos, quibus proprie vixit, quorum res et rationes extrema adeo valetudine et ad fatalem usque horam suas esse duxit, et curavit ut suas**), quot quantasque eximias habebimus caussas dolendi in hoc funere? Malumus tamen in communibus istis nos continere, ne dolor nimium recens per nos fiat acerbior: atque utinam afferre possimus aliquid, unde discatis, qua ratione nunc digne lugendum sit.

*) *Varii*, epici poetae, verba sunt ap. Horat. Epp. 1, 16, 27. De *plebis* Romanae animo in Augustum vera sint licet: sed verissima sunt de cordatioribus omnibus, qui *Friderico* digni fuerunt. Lacrimae ubertim manantes nunc testes sunt.

**) Sermonibus omnium nobilitatum est, quam occupatus saepe *Rex* inter gravissimos dolores fuerit, et quam placida fronte tandem ipsam mortem exceperit, probe servans illud Suum: *Vivre et mourir en Roi.* Sed non omnibus, qui haec forte legent, cognita erit admirabilis vox, qua ad amicos et medicos paucis ante excessum diebus usus est. Nam quum morti iam proximus, numquam tamen ab intentissimis publicae rei curis vacaret, admonuerunt *Eum* illi, ut aliena

Etenim vere nobis videmus dicturi, hunc REGEM digne lugere non facilius esse, quam laudare. Nam sicut nihil sic de EO dicendum est, ut idem de alio principe videatur dici posse, ita in EODEM lugendo omnibus erit cavendum, ne ratio ea adhibeatur, quae communior sit, nullamque habeat satis apertam personae significationem. Quod enim amisimus in FRIDERICO nostro, raris tantum intervallis aetatum amitti potest, quoniam raris conceditur. Non rex solum desideratur, quo nulla gens usquam coluit sapientiorem; non belli dux, quem summis imperatoribus pristini aevi vel parem vel etiam superiorem viderunt sui, ho-

negotia paullo remissius tractaret, ut *Sibi* parceret, *ut Sibi* demum vivere vellet. Quid ad hoc ILLE? *Negotia haec*, inquit, *sunt mea, nec negligi patiuntur, nec differri, si vel maxime mihi dies unus et alter, vel mensis adeo, pretium sit.* En dictum dignum Heroë, qui *magnae animae prodigum* se per omnem vitam ostendit, ut illud non tam dictum, quam summa Regiae huius vitae descripta videatur. Concinit quodammodo sententia Socratis apud Platonem Apol. Socr. c. 16. Quam quo liberius comparemus, facit honorifica mentio veterum Sapientum,

ὁ μείζων ὑμῶν, ἔστω ὑμῶν διάκονος.

stes etiam senserunt; sed subductum requirunt oculi exemplar omnium virtutum praestantissimarum, in quo ad excellentem quandam speciem, perpaucis mortalium ne animo quidem visam, exhibendo provida Numinis cura videtur documentum dare voluisse, quantum saeculo huic nostro faveat. Illud enim quum quasi ex illustri monumento spectandum tot per annos orbi nostro patuerit, effectum est, ut, quas virtutes antehac vix sociabiles credidisset, has amicissimo vinculo iunctas in Uno intueri posset. In tali igitur Viro singulas virtutes enumerare velle, propemodum iniuriam putemus esse universis. Quid enim? Si forti-

a FRIDERICO in Carminibus suis facta, ubi saepe Socratem, Ciceronem, alios horum similes, familiares suos appellavit. Verba philosophi Attici sunt: Οὐ καλῶς λέγεις, ὦ ἄνθρωπε, εἰ οἴει δεῖν κίνδυνον ὑπολογίζεσθαι τοῦ ζῆν ἢ τεθνάναι ἄνδρα, ὅτου τι καὶ σμικροῦ ὄφελός ἐστιν, ἀλλ᾽ οὐκ ἐκεῖνο μόνον σκοπεῖν, ὅ,τ᾽ ἂν πράττῃ, πότερον δίκαια ἢ ἄδικα πράττει, καὶ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ ἔργα ἢ κακοῦ. *Non bene statuis, o bone, si sapienti et probo consentaneum putas in ulla re agenda vitae discrimen respicere, ac*

tudinem EIUS, si iustitiam, si constantiam, si benignitatem, si ceteras dotes commendaveris, firmissima utique praesidia Regiae dignitatis laudem habebunt; nec tamen sic efficies, ut UNUM hunc tibi laudatum statim alii agnoscant. Nimirum ut corporum membris separatim spectandis universa pulchritudo vivi hominis vigentisque cognosci non potest, sic animi praecellentis imago, per partes si contempleris, semper infra exemplum suum subsistit. Naturae, dicetis, vitium est: et est sane. At si tamen ulla ratione tantae tamque consummatae virtutis exemplum oculis totum proponi posset, quotusquisque nostrum divini spec-

non id unum potius considerare, an, quod susceperit, sua persona dignum sit. At aliam longe vim habet vox, in ipso rerum actu prolata, et in tali valetudine. Eaque res valet etiam ad alia permulta huius nostri Sapientis ἀποφθέγματα commendanda, in quibus antiquitatem cum sua dictorum copia non admodum desideramus. Ita hic quoque maius quiddam videmus illo: *Diem hodie perdidi.* Nam nullum *Ille* diem perdidisse putandus est, qui ne unum quidem, morti proximus, publicis curis omissis, bene redemptum existimabat.

taculi foret capax? Quantis ad id ipsum animis opus esset, quam pectore robusto, generoso, excelso, Eiusque, quem ita intueri velis, non dissimili!

Talis autem Virtus est, quam ad cognatos superos nunc reversam dolemus. Intelligitis, quam sancta et religiosa res hic luctus noster sit. Itaque enitendum erit omnibus, ne forte indigne sapientissimo REGE, neve ita doleamus, ut iacturam, quam fecimus, ad domesticam maxime utilitatem referre videamur. Equidem malum est, quod EO diutius frui nobis non licet, sed hoc commune habendum omnibus, si qui tantam magnitudinem et animi et ingenii suspicere valent. Nam quum pro se quisque virtutis perfectae aliquod exemplum quaerere soleat, quod semper veluti in conspectu positum ad optima quaeque animum impellat, in prava inclinabilem ad recta revocet, atque divina quadam vi et quasi afflatu incitet: nullum omnino optari poterat ISTO aut maius aut praestantius, et cuius auctoritas ipsum secretum mentis nostrae sanctius faceret. Hic tamen quod praesens fuit, idem,

quum effigiem mentis non uno modo expressam reliquerit, etiam exstinctus a nobis habebitur. Quocirca videntur ipsi Magni Manes verbis auctoris, Defuncto prae ceteris probati *), nos ab infirmo desiderio et lamentatione ad contemplationem virtutum suarum vocare, quas neque lugeri neque plangi fas est. Has potius admiratione et immortalibus laudibus, et, quantum cuiusque nostrum seu imbecillior natura seu humilior locus suppeditet, longe sequendo adorare, vera erit fides, vera pietas.

Atque haec sunt, quae quum per superiores dies saepius mentem subiissent, non parum nos in acerbissimo dolore erectos sensimus. Neque adeo a luctu sese obrui patitur iucundus sensus felicitatis nostrae, quibus talis tantusque Rex lugendus sit. Quanta enim in felicitatis parte id unum ponendum crederetis, si talis Vir privatus Vestrae aetati suppar contigisset? Nunc vita nostra in illud saeculum incidit, cui IDEM ILLE, qui in alio quocumque loco constitutus aequalium oculos splendore suo praestrinxisset, eximio Numinis munere

*) Taciti, Agric. extr.

gubernator contigerat. Quae felicitas, etiam si vicinae gentis, non nostra fuisset, haud minima tamen esset habenda, utpote quam olim a sapientissimis hominibus frustra votis expetitam videamus *). In primis vero magnum argumentum moderatricis rerum providentiae a nobis putari debet hic potissimum Princeps per tot annos huic aetati conservatus, quae, tot vitiorum contagiis feracissima, plus quam alia ulla correctore indigebat. Ac si melior et salubrior cultus morum futuro saeculo tradetur, id quoque Eidem referet acceptum, cui tot alia debebit. Ipso enim, haud satis habens aevum suum vicisse, etiam alienae correctioni manum admovit, enixeque per omnem vitam elaboravit, ut virtutes, quas proprias habebat, communes faceret, ut has, quae humiles ante a multis et magis dignae pergulis quam palatiis habebantur, in regale solium

*) Secundum celeberrimam Platonis sententiam: *Tum demum gentes humanas beatas fore atque innumeris malis intactas, si Philosophi* x) *vel Sapientes imperium tenerent, aut imperantes philosophkarentur.* x) De Republ. lib. V. p. 473. c. d. Cap. 18. edit. Steph.

x) qui virtutis pulchritudine incensi omnes vires suas ad eam non cognoscendam modo, sed exercendam, excolendam, propagandam contulissent." [illegible]

eveheret, ut mollitiem, desidiam, luxuriam, et si qua tetrior labes temporum grassatur, fortiter impugnaret, nec imperiis tantum, sed blandius et efficacius exemplo regnaret. Iam ad haec si cogitaueritis, hunc Eundem fuisse Regem nostrum, nostris rebus, nostrae saluti consuluisse, nullumque habuisse ardentius votum, quam ut nos felices nostraque prosperitate gaudentes praestaret *), profecto nihil excogitari poterit valentius ad animos nostros in hac ipsa calamitate recreandos, quod in ea, quam communem ceteri omnes existimant, nobis eximium aliquod ius lacrimarum nemo aut dubium faciat, aut ereptum ire audeat.

Verum haud minor dulcedo sensui nostro miscebitur cogitatione continuae felicitatis, qua Divum REGEM fruitum scimus in omni cursu

*) *Quel que soit le pouvoir qui Vous tombe en partage,*
Que le bien des humains soit toujours Votre ouvrage;
Et plus ils sont ingrats, plus soyés genereux.
C'est un plaisir divin de faire des heureux!
Versus sunt ex Regis Epist. I. in *Poesies divers.*

vitae, quem perfecit, at quam splendido, quam multis multorum aetatibus anteponendo! Nam si umquam cognomen Felicitatis princeps meruit, meruit HIC, certe id nemini ita sine dispendio virtutum contigit. Quod quam vere a nobis proferatur, intelliget statim, qui vel strictim EIUS vitam inspexerit. Adiutricem Fortunam in nullo consilio inceptove EI non adstitisse dixeris, ut adeo IS, qui lusum deae ex superiore loco unus maxime despectare solebat, atrocibus eius minis interritus et placidus in mediis tempestatibus, benignum vultum dominae expertus ad invidiam esse videatur. Mox alia in cultorem suum *) contulit Numen O. M., quae vitam iucundam et beatam reddere poterant. Sic vidit ILLE instituta Sua, quibus nervos ac robur imperio dabat, successibus uti prosperrimis; vidit eadem instituta prudentibus cunctis probata, a multis alio translata vel imitando expressa, simul populum Suum laetum, terrasque omnes, quae Borussico sceptro parent, omni genere rerum, quo possunt florere, florentissimos.

*) *Satis Deum coluit, quisquis imitatus est.* Seneca Epist. XCV.

Neque defuerunt ET, etsi Sapienti sua conscientia amplissimum theatrum laudis erat, boni omnes laudatores et admiratores, habuit Principes Germaniae omnes Sui studiosos, Suis commodis addictos, Se socium consiliorum et arbitrum expetentes, ab Se omnia magna, praeclara, utilia sperantes. Ad haec denique cumulus accessit tam extentum spatium vitae cum senectute cruda plerumque ac viridi. Quid? quod in hanc ipsam aetatem singularis Dei amor nova reservavit decora et auctus, ut verissime credideris, huius REGIS extremos annos alii principi ad immortalitatem nominis suffecturos fuisse.

Revocaremus hic animos Vestros, *Commilitones*, ad memoriam socialis foederis, quod nuper Teutonicae libertati novo firmamento stabiliendae inter Principes factum est, nisi adeo nova esset res et vulgi praeconiis celebrata. Sed quid cum publica libertate coniunctius est, quam privata ingeniorum libertas? Hanc nonne denuo revocatam et stabilitam EIDEM auctori debemus? Ac nisi universa DIVI merita de re litteraria diligentius alibi recolenda

essent, libenter nos pro munerum nostrorum rationibus in hoc uno versaremur. Quippe beneficium hoc tale est, ut id, si desideres, facilius sentire, quam, si fructus detur, digne praedicare possis. Quamquam ea res haud magis ad privatos homines, aut civitatem quandam aut populum, quam ad universam gentem humanam spectare videri debet. Itaque hinc quoque constabit posteris, quo ingenio FRIDERICUS NOSTER, quo animo fuerit. Neque enim, dum libertatem de quibuslibet rebus ad proprium iudicium, non ad publicam quandam normam aut alterius arbitrium sentiendi concessit eruditis, novum quoddam ius concessisse videri voluit, aut rem in beneficii seu meriti loco haberi. Nempe, quae EIUS erat perspicacia, qua in tot aliis rebus saeculum praecucurrit, animadvertit mature, liberalia studia, non minimum praesidium recte ordinatae civitatis, libertate illa adempta, aut omnino nulla esse posse, aut ementito nomine gloriari, quin eadem libertate erepta eripi simul alia, ad salutem, honorem et incrementum publicarum rerum mirifice profutura, animum adeo debilitari etiam in ceteris studiis et

artibus, vires eius infringi, aciem mentium hebetari, omnesque omnium virtutum nervos incidi. Huic autem iudicio accessit animus, veri ipse studiosissimus, nullis addictus commentis opinionum, liber per omnia et erectus, ut in quo Regiam nobilitatem facile agnosceres. Atque hunc animum excellentissime IPSE prodidit in scriptis, quae non Auctoris nomine aut gratia, sed suo pretio et praestantia aestimantur, legenturque et ediscentur, quoad suus humanitati honos manebit. Dicat aliquis de iis, quod de Caesare dixit Quinctilianus*): tantam ibi esse vim, tantum acuminis et concitationis, ut EUM appareat eodem animo scripsisse, quo bellaverit. Ita FRIDERICUS reliquit Sui in litteras amoris et studii monumenta tum privata, tum multo magis publica. Horum enim maxime ea vis et ratio est, ut non vano mentis praesagio speremus, fore ut FRIDERICIANUM saeculum sempiterna memoria doctorum consecretur, tamquam omnis veri et recti studio, doctrinisque omnibus et artibus saluberrimum. Exolescent mox multorum Principum nomina, quamvis ab

*) Inst. orat. X. 1, 114.

ab aequalibus certatim dilaudata, ab adulatoribus adeo ad epochas relata. Ipsum iam Saeculum Alexandri M. paene de honore suo detrusum videmus. Alii aliis modis honori studiorum consuluerunt; sed quod fieri solet a plerisque, quantumvis per se magnum sit ac memorabile, facilius tamen est factu, et cuilibet principi tutius, ad gloriam denique magnificentius: quae insuper dedit FRIDERICUS, non nisi is dare potest, qui omnia consilia sua ad utilitatem quam plurimorum et ad veritatem rerum referre consuevit.

Intelligitis, *Cives*, bona Vestra, a MAXIMO REGE primum ingeniis adiudicata, quorum, uti ceterorum omnium, conservatorem Sese fore pollicetur HIC, in quo nunc doloris nostri levamen et spem salutis reponimus, FRIDERICUS GUILIELMUS, Deliciae populi. In quo quum diu iam virtutes eminuerint eae, per quas amabilis suis redditur Princeps, nemo alius ne exoptari quidem melior tanti *Regis* successor a nobis poterat. Quem ut Deus O. M., novae quoque huius felicitatis dator, diu servet nobis incolumem, integrum, feli-

cem, bonisque omnibus, quibus magna virtus in hac mortali statione ornari potest, cumulatissimum; ut idem universam DOMUM AUGUSTAM paterna tutela amplectatur; ut Borussico nomini pergat favere, et, quaecumque ad eius decus, maiestatem et incolumitatem faciant, in postremum quoque largiatur benigne; hoc publica voce et supplicibus votis veneramur.

Sed ante quam ad nova initia rerum novasque spes procedimus, iusta funebria SANCTIS MANIBUS FRIDERICI peragenda sunt. Ad quod supremum officium pietatis quandoquidem Vos, quotquot estis seu cives seu hospites, dudum animos compositos habetis, nihilque pro fide Vestra non putatis agendum, ut huius REGIS a nobis digne decoretur memoria; nutu tantum nostro, non prolixa invitatione ad Vos opus erit. Devotissima igitur mente cras recolemus memoriam beneficiorum ac meritorum, quibus Sibi DIVUS immortalitatem nominis, nobis vero maioribusque nostris prosperitatis plurimum paravit, memorandis maxime his, quae ad nos, litterariam civitatem, propius spectare videbuntur. Elabora-

bimus autem Vobiscum, ne in testando affectu nostro et desiderio OPTIMI REGIS quisquam in nobis desideret pietatem ac religionem, sicut antea in praesentem a nemine fidem nostram caritatemque requiri patiebamur.

In ipsis sollemnibus verba praeibit Collega noster, *Fr. Aug. Wolf*, Eloq. Professor, cui orationis habendae provincia de more commissa est. Ducetur pompa academica in aedem D. Mariae, ubi eam lugubres concentus excipient. Adeste ergo frequentes, Comites illustrissimi, Generosa Baronum et Nobilium suboles, Cives, natalium, ingeniorum, virtutum laudibus ornatissimi, atque interpretem luctus nostri benevole audite. P. P. a. d. XIV. Sept. cIɔ Iɔ CCLXXXVI.

II.

Parentalia
in memoriam
Sereniss. nuper ac Potentiss.
Principis Dominique
FRIDERICI GUILIELMI II.
Borussiarum Regis
etc. etc. etc.
in A. D. XXII. Dec. piissime celebranda
indicuntur.

Atheniensibus olim fuit in more positum, *Commilitones*, ut oratoribus, quos Senatus eligeret ad laudandos eos, qui mortem pro patria obiissent, non nisi paucissimi dies ad meditandum concederentur. Qua quidem re ingeniosus populus eorum, quibus illa provincia obtingeret, consultum voluisse putatur existimationi; ne, quum nulla temporis longitudo sufficere videri posset civium optime me-

ritorum laudibus componendis, ii, qui omni prope cogitandi spatio surrepto dicerent, si propinquorum exspectationi non satisfacerent, apud aequiores saltem et prudentiores venia carerent.

Similis nobis venia parata est, vel dicentibus, vel scribentibus, in huius diei cerimonia. Etenim cognitum habetis, quam sollicite REX ILLE, quem acerba morte raptum prosequimur, edicto caverit, ut antiqua lugendi consuetudo coerceretur, omnesque, quibus antea defunctos Reges afficiebamus, arcessiti ac sumptuosi honores abessent. Quam legem qui sanxit, atque etiam voluit ab ipsa AUGUSTISSIMA DOMO servari, is utique, quoniam illud mortalium negotiorum postremum ursit, maximo excelsi animi documento, SUI quoque funeris honoribus modum statuisse, nec in eo quicquam praeter taciti doloris veritatem reliquisse videbatur. Ex quo magnopere verebamur, ne nobis, quos potissimum ea cura decebat, testificandae pietatis nostrae locus plane ademptus foret. Itaque nunc, quum luctum iusto diutius cohibitum expleri permis-

sum est, longissime infra rei dignitatem et magnitudinem nostra subsistet oratio; siquidem eo nobis utendum erit temperamento, quod et ILLO, qui SE vulgarem in modum lugeri vetuit, et nobis, quos omni prosperitatis genere florentes reliquit, haud indignum aut indecorum iudicetur.

A recolendis igitur SUMMI REGIS erga nos nostramque academiam beneficiis, quae una ratio superest officii rite fungendi, lamentatio absit, et muliebris querimonia, qualis in domesticis calamitatibus audiri solet. Nam aliter patrem familias in tenui domo, aliter parentem patriae amissum fleri fas est. Neque adeo plane ingenuum moerorem aut solidam gloriam meruit is Princeps, in cuius iactura sic lamentandum habeat populus suus, velut in uno ipso omnis publica salus periclitetur. Valeat hoc in eo, quem medio in cursu, ancipiti fortuna bellorum vel ambiguo ditionis ambitu, fata interceperunt, nulla nisi fortitudinis, in qua omnes spem reponerent, laude conspicuum. At si gloriosum habetur, eas gessisse res, quas nemo gerere potuisse alius

videatur; nescimus an multo praestabilius sit, atque ad perennem memoriam excellentius, certe fructuosius ad verissimum usum humanitatis, fines imperii lenibus consiliis tutos, seu, ubi per Fortunae lusum licuit, propagatos, sapientibus stabilitam legibus iustitiam, artesque ac doctrinas firmis adminiculis subnixas reliquisse posteritati, sine ullo impendentis mutationis praesagio, quod eius, quem bonorum illorum auctorem ferunt, desiderio misceatur. Talem Principem non stupida quidem admiratio popularis, quippe quam saepissime etiam eversores rerum publicarum occupant, sed grata memoria et cum amoris affectu coniuncta sequitur veneratio. Quam ad cogitationem ipsum hoc nos tempus invitat, quo pacem speramus Germaniae et universae Europae aeque salutarem futuram, atque illa fuit, qua SUAS terras fortissimus HIC fortissimae gentis REX dudum beavit. Videlicet hoc exemplum dare non potuisset, nec studiis nostris otium et tranquillitatem concedere, si ex una quadam virtute immortalitatem nominis affectavisset. Itaque abeant leves miratores, atque istos mirentur heroas, in quibus una animi vis insignior

exsplenduit; diversum sensuri profecto, si scirent, quantae ab istis noxae ac detrimenta nationibus inflictae sint. Quin etiam in pace fulgentiora illa ingenia, quorum tantum numerum historia recenset, dum fulgent et ardent, urunt plerumque, ruinas ducunt, promioraque sunt in dominationem, quam in iusti et aequabilis regni moderationem. Quare contemnamus voces vulgi, bona sua ignorantium, vel secus, quam prudentia poscit, sentientium de rebus humanis. Vos in primis, *Cives*, qui varias vicissitudines gentium saluberrimam partem eruditionis habetis, mature solida a splendidis discernere, ac vera magnarum civitatum praesidia et utilitates intelligere discatis; ne temere accidat Vobis, quod tam multis accidere solet, ut Principum merita vel ex aliqua eximia vi ingenii, vel ex solis rebus, quas gesserunt gerive suis auspiciis iusserunt, aut praestantiam imperii ex alia re quam publico sensu auctae et confirmatae felicitatis aestimandam arbitrentur.

Quae quum ita sint, quodnam praeconium FRIDERICO GUILIELMO, nunc ad beatorum se

des evecto, tribui dignius poterit, et quo primariae EIUS virtutes significantius coniungantur, quam illustre hoc, quo heroum suorum praestantissimum antiquus vates decorat, quum eum *regem bonum* dicit ac *strenuum bellatorem* *)? Sed de militari laude, qua priscum et proprium stirpis SUAE decus servavit, praedicare velle non solum minus aptum sit personis nostris, sed etiam supervacaneum, quod de ea inter omnes iam ab illis inde temporibus constitit, quibus adhuc FRIDERICUM, bellicae quoque artis optimum magistrum, comitabatur. Quamquam veram in EO fuisse hanc virtutem, neque ex florentis aetatis ardore collectam, insigne et memorabile censendum est; quandoquidem nuper admodum tam impavidam constantiam exhibuit, tantamque patientiam, ut in periculis subeundis molestiisque perferendis paene cum quovis durissimorum militum suorum certaret. Nec vero hoc, etsi ipsum per se satis hominum animos tenet, sufficisset EI ad amorem SUORUM conciliandum.

*) Ἀμφότερον, βασιλεύς ἀγαθός κρατερός τ' αἰχμητής.

At benignitate, indulgentia, humanitate EUM longe excelluisse, et pleraeque EIUS actiones publicae ostenderunt, et plane compertum est ex omnibus, quibus propius cognoscendi EIUS copia contigit. Quapropter minime mirum fuit, tum, quum reliquae virtutes EIUS minus perspicerentur, exstitisse quam plurimos, qui EUM uno BENIGNI sive EVERGETAE cognomine vocandum existimarent. Atqui talem esse conveniebat ILLUM, cui mite ingenium natura dedisset, mores humanissimos et facillimos, animum antiqua imbutum fide, nec ab artibus mansuetiorum Musarum abhorrentem, sanctissimae denique religionis cultui deditissimum.

Verum quid agimus? Alienum est ab huius scriptionis consilio, DIVI REGIS laudes et gesta celebrare, atque id, quod in recenti omnium memoria versatur, ambitiosa efferre oratione. Faciet illud aliquando historia, quo remotior erit ab hac aetate, eo incorruptius quodque exemplum illustratura. Nempe docebit ea, quam hoc breve temporis spatium, quod regnanti IPSI providum Numen concessit, ferax fuerit magnorum et notabilium casuum,

adeoque confertorum, ut in eo, quot annos, tot propemodum epochas numerare liceat. Raram eadem praedicabit felicitatem, qua vix ullum fuit in eventis illis, unde non ad Borussici sceptri maiestatem aliquid commodi redundaverit. Neque tamen, quamvis bellicis rebus occupatior, silentio transmittet, quae ILLE domi egerit praeclare et liberalissima humanitate, quae a Rege superiore instituta perfecerit, quae IPSE nova instituerit, quae inchoaverit, quae voluerit denique; quid elegantiae profuerit artium, maxime architecturae, quid ipsi vernaculae linguae, neglectui habitae quondam, in circulis praesertim aulicorum, quid maximis et ad summam hominum salutem pertinentibus disciplinis, in primis iurium doctrinae, quam expeditiorem et promptiorem reddidit inducto novo consummatissimarum legum corpore; quod quum diu prudentes votis expetissent, IS tandem arduum opus ad effectum adducere ausus, admirabili moderatione quemvis rei gnarum ad id omnibus numeris perficiendum invitavit, quasi *Hadriani* exemplo palam professus, in iustitia stabilienda unius SE rem curare populi, *non*

propriam *). Ad haec tot ac tanta si unum hoc accessisset, ut pacem Germaniae redditam et gentes finitimas quiete recreatas videre posset: haberent annales EIUS, quod in gravissimis negotiis EUM nihil fere, quod agendum suscepisset, non confecisse et ad exoptatum eventum perduxisse gloriarentur.

Sed haec, ut diximus, multo sunt illustriora, quam quae a nobis hoc in loco commemorari debeant; sunt illa etiam suis monumentis partim iam mandata dudum, partim mox in omnium Europae civitatum notitiam adducentur. In nostram autem litterariam civitatem quam multa EIUS quamque singularia merita exstiterint, tametsi haud perinde splendidum memoratu est, ex verae sapientiae iudicio non minus praeclarum habebitur, aut levioris ad HUIUS REGIS excellentem humanitatem et munificentiam intelligendam momenti; si modo studio nostro Vestroque, atque adeo eorum, qui consequentibus aetatibus in hoc

*) Et in concione et in Senatu saepe dixit, ita se rem publicam gesturum, ut sciret, populi rem esse, non propriam. *Spartian. in Hadr. c.* 8.

Musarum sacrario operabuntur, aliquid operae pretium vel effectum est, vel efficietur, ex quo ad accuratam cognitionem rerum divinarum et humanarum progressus factus esse videatur. Neque enim ILLE celsissimo, quod inter homines est, munere perfecte SE functum putabat, nisi animum convertisset ad ea, quibus institutio succrescentis posteritatis, atque ipsae, unde illa pendet, litterarum, artium, doctrinarum, religionum formulae emendari refingique possent. Quippe id facile omnis aevi intelligentibus credidit, et IPSE persuasum habuit, eruditionem atque culturam ingeniorum bene temperatis imperiis non modo decoram ad vanum gloriae fructum, sed et certo praesidio ad firmamentum esse. Itaque in primis statim principalibus curis EI fuerunt tum aliae academiae et scholae, tum haec in primis FRIDERICIANA fuit, cuius necessitatibus liberaliter subveniret, et rationes de integro ordinaret, non quidem mutata vetere, et, modo ne homines desint, sapienti constitutione, at sic tamen, ut alter Conditor appellari meruerit. Redeundum enim hic est nobis in memoriam illorum annorum, qui tam profusam

habuerunt gaudendi gratulandique materiem, non sine aliqua, quae magnis prosperitatibus comitatur, invidia. Neque etiam posthac EIUS nobis tutela defuit, cuius testes plura habemus decreta et consulta, quae, utcumque olim prodita fuerint aut existimata, nullo non tempore eximium EIUS studium iuvandarum litterarum ac felicitatis publicae privataeque per eas latius diffundendae demonstrabunt. Immo iam nunc Vobis ipsis, *Cives*, REGIORUM istorum beneficiorum uberes fructus percipere licet, insigniter locupletata academica bibliotheca, et multis cuiusque prope generis institutionibus ad utilitatem et ornamentum Vestrum accommodatis: quo factum est, ut haec nostra universitas litterarum, quae cum antiquioribus sororibus antea tantum privatis copiis eruditorum hominum certamen inibat, altero nunc saeculo suo cum iis et numero magistrorum et publica subsidiorum instrumentorumque opportunitate aemulari possit.

Iam horum et aliorum bonorum, quae D. FRIDERICO GUILIELMO debuimus, dum gratis mentibus recordamur, blanda nos fiducia et

spes tenet, fore ut illa ad germanae sapientiae atque eruditionis incrementum perennia sint, novisque subinde auctibus florentiora. Nam huius rei certam fidem faciunt laudatissimae et usque adhuc nullo nisi proprio et suo splendore conspicuae virtutes EIUS, quem nunc Serenissimum solii Successorem veneramur, FRIDERICI GUILIELMI III. Cuius sub auspiciis ut patria nostra vigeat incolumitate, quiete, opibus et iis rebus omnibus, quibus solida hominum felicitas censetur; ut IPSI praeterea atque IPSO dignae CONIUGI Deus decursum vitae diuturnum et optabilem impertiat; itemque reliquam AUGUSTISSIMAM STIRPEM conservet ac propitio numine tueatur; ardentissimis votis precamur.

Prius tamen quam iucundas novi imperii spes et vota ingredimur, BEATIS MANIBUS DEFUNCTI REGIS parentare nos iubet pietas nostra. In quo operam dabimus, ne, dum voluntati IPSIUS et ingenuis consiliis obtemperamus, quisquam Vestrum aut ceterorum huius urbis incolarum nostram in officio persolvendo negligentiam arguat, simulque ut omnes, qui sollem-

nibus intererunt, aliquid sibi ad religionem et virtutem exercendam adiumenti allatum sentiant. Quamobrem in aede Mariae die crastino h. X. ex sacra cathedra verba faciet D. *Aug. Herm. Niemeyer*, Theol. P. P. O., cui hoc munus a nobis delatum est. Adeste igitur frequentes et devotis animis, *Commilitones*, natalium, ac multo magis ingeniorum, morum et studiorum laudibus praestantissimi, atque oratorem nostrum reverenter audite.

P. P. in Universitate litterarum Fridericiana, d. XXI. Dec. cIↄ Iↄ CCLXXXXVII.

Zu Nr. II. – Wolf schrieb den $\frac{12}{12}$ 97 an Schütz in Jena.

„Wie können Sie, theurer Freund, meines Unglücks noch spotten? Freilich soll ich so was machen, was einem Flagitium auf Dr. Wolf's ähnlich sieht; es sollen wenigstens 3 Folioseiten damit bedruckt werden, natürlich mit ungeheuren Lettern. Kurz das Unglück ist groß; es kommt dazu, daß ich gleich nach Hr. [illegible] Tode krank wurde, an einer – Erkältung, und die Stube hüten muß. Daher wird mein Herr College Niemeyer eine deutsche Rede von der Kanzel der Marienkirche halten; das Schaffot, was man mir 1786 gebaut hatte, obgleich nur einen Fuß über der Erde, kostete gleichwohl 30 Thaler. Jetzt ist uns aber pro anheim gestellt, ob wir nicht so was ähnliches, wir damals, auf unsere Kosten halten wollten. Denken Sie!"

S. Christian Gottfr. Schütz. Halle 1834. Bd I. (Der litterar. Briefwechsel [illegible], ein [illegible] [illegible] Darstellung seines Lebens [illegible] [illegible] [illegible])

III.

Prooemia

Praelectionibus academicis indicendis scripta.

Nusquam est, qui ubique est. Argute sic, pro more suo, Seneca ait in epistola quadam, quae tota in eo est, ut iuniorem amicum a desultorio omnis generis libros degustandi studio ad assiduitatem et constantiam in legendo revocet. Eadem sententia ut bene usurpari potest de hac frivola atque omnia summa fugitivo pede percurrente disciplina, quae apud satis multos invaluit hodie, honoremque adeo adepta est, ita nec minus apte conferri posse videtur in partem eorum, qui studiis litterarum in Academiis operantur. Nam dum aliis aureum illud *Ne quid nimis* ita placet, ut, ne in ulla re praeclara extra modum evagentur, vix magnopere verendum sit; nonnullos con-

— εἷς ἕκαστος ἓν μὲν ἂν ἐπιτήδευμα καλῶς ἐπιτηδεύοι, πολλὰ δ' οὔ· ἀλλ' εἰ τοῦτο ἐπιχειροῖ, πολλῶν ἐφαπτόμενος πάντων ἀποτυγχάνοι ἄν, ὥστ' εἶναί που ἐλλόγιμος. Pl. Rep. III. p. 394. E 34

tra videmus saepe diversissimarum rerum studia ac consilia suscipere, discursare circa omnes, quotquot apertas vident, doctorum fores, et quasi omnes Musas uno complexu tenere magna ambitione gestire. Quod quidem vitium quo facilius incurrere solent, qui erectioris ingenii sunt, ardore alioquin laudabili ad curricula studiorum delati, eo minus ab officio nostro alienum Vobis videbitur, *Commilitones*, si, quam lubrica ac damnosa sit illa πολυπραγμοσύνη, per huius temporis opportunitatem paucis moneamus. Vidimus enim plerumque consequi hoc, ut ii ipsi, quorum insolita cupiditas ad se omnia pertrahendi sub primum spatiorum ingressum in praeclaram spem erexisset omnes, primi languore corriperentur, pedemque vago consilio multis illatum turpiter referrent. At vero si qui forte diutius in tumultuario suo cursu persistunt, intentiore litterarum amore ducti, horum conditio nescimus profecto an multo habenda sit melior. Nam quum optimis subinde ingeniis praediti sint a natura, industriámque ipsi afferant per se omni laude cumulatam, in secundis tertiisque aut etiam inferius haerent, hac

una de caussa, quod intemperanter quaevis appetere, et nullo ordine servato studiis sese immergere gestiebant. Ii autem, qui minus benignam naturam experti sunt, temeritatis huius incommodis longe molestissimis premuntur, ac, si sero tandem resipuerunt, viribus et animi et corporis effusis intelligunt, multis quidem hinc inde corrasis parum se ad accuratiorem rerum scientiam adeptos esse. Sunt tamen ex his plerique tales, qui egregie eruditi sibi videntur in omnibus, quum ne in singulis quidem ultra mediocritatem profecerint. Quare, *dilectissimi Cives*, Vestrum est, ad has novas tabulas lectionum praeparato et composito animo accedere, sumere inde Vestris viribus et consiliis consentanea, nihil vero temere, nihil inconsulte aggredi: ita demum fiet, ut laboribus et nostris et Vestris dignos fructus sperare possitis.

IV.

Hanc nostram studiorum rationem, quam a pluribus inde saeculis usu receptam in nostris praesertim Academiis regnare videmus, haud una parte dissimilem esse illi, quae inter Graecos olim viguit tum, quum ingeniorum laude florerent maxime, et incredibili celeritate omnem paene artium ac doctrinarum orbem peragrarent, id neminem Vestrum fugere putamus, *Commilitones*. Neque fieri potuit, quin, ut ad litterarum fortunam faciemque earum tantum non penitus immutandam tot tamque insignes, quae deinceps consequutae sunt, mutationes rerum publicarum, morum, religionis, vitae, aliaque id genus plurima vim habuerunt maximam, ita quoque docendi discendique forma iisdem caussis efficeretur nova et ab veterum consuetudine diversa. Ad hanc cogitationem, non inutilem nec iniucundam, animus interdum delabitur commemora-

tione ipsius huius nominis Academiarum. Quod quum adhuc e spatiis illis, Platonis primum et aliorum doctrina nobilitatis, adhaeserit, adeo omnia novo vultu nunc inducta esse reperimus, ut nostris his sedibus disciplinarum praeter vocabulum nihil fere cum illis commune esse videatur. Sunt quidem etiamnunc Academiae variorum multipliciumque sermonum curricula, at quanto productiora ea videmus et spatiosiora! Quam multa doctrinarum genera recentiorum demum ingenium exclusit, antiquitati vel prorsus inaudita, vel nondum sic discreta ac seorsum tractata! Quodsi enim ad hanc tabulam praelectionum, quam Vobis offerimus, accedere liceret cuipiam ex antiquis illis Academicis vel doctissimo, profecto is ne ab interprete quidem adiutus multum intelligeret, quin potius nominum nova monstra exhorresceret. Idem tamen, verendum esset, ne alia in hac opulentia nostra desideraret; et sane miraretur, quum videret Musarum chorum e nemorum suorum umbris apud nos exturbatum, inque auditoria et inter hos pulpitorum strepitus relegatum. Sed ne cui forte illa locorum amoenitas et opacae ambulationes, germanae

Academiae propriae, quas tanta morum conversio nostris disputationibus eripuit, nimium sui desiderium incutiant: properet oratio nostra ad aliam rem aliquanto graviorem, qua dubitamus an omnes nunc eodem aequo animo careant.

Monitum iam ab initio est, quantum ipsius institutionis modus a nostris hominibus celebratus ab antiquorum abhorreat: cuius rei etsi plura sunt momenta, quae observari possint, unum hic tantum pro consilio nostro leviter attingamus. Nimirum eam docendi rationem initam olim maxime fuisse constat, neque a philosophis solum, sed et ab aliarum rerum magistris, ut ea, quae profutura putarent iunioribus ad ingrediendam rectam viam studiorum, liberiore et familiari sermone cum iis communicarent, more cum vitae consiliis, quae tum erant, utique coniuncto. His vero postea mirum in modum mutatis atque aliis prope factis, multas ob caussas, nec eas leves, inducta est haec compositi sermonis perpetuitas, qua iis, qui audiunt, ita consulere student docentes, ut, nisi in primis adhuc ele-

mentis haereant, fructum satis magnum inde percipere liceat. Confluunt sic hodie ad auditoria nostra maiores simul auditorum coetus, habentque opportunitatem sibi oblatam, quaecumque magno saepe doctorum studio, labore vigiliisque parata sunt, breviore tempore ac faciliori proprio negotio arripiendi et ad usus vitae reponendi. Contra facile intelligitis, *Cives dilectissimi*, quanto maiore cura animique intentione discentibus tum opus fuerit, quum ii non tam excipere ab aliis excogitata, quam ipsi una cum magistris res investigare deberent. Verum nemo etiam dubitet, quin huic operae commoda responderint haudquaquam levia. E quibus hoc in primis memorabile est, quod ita semper copia esset, quae quis didicisset, coram doctore exponendi, et in iis apte distincteque disserendis ingenii vires periclitandi, quo statim doctrina omnis ad exercitationem referretur. Et rarius hanc quoque ob caussam ista aetate hoc doctorum genus prodiisse videtur, quorum praeclara scilicet sapientia, si quando in publico spectari cogatur, miserabiliter obmutescat, quique seu diffidentia sui seu pudore rustico impediti

nihil ex sese promant, atque, ut Aspendius olim citharista, omnia intus canant.

Atqui ne in his rebus conditionem nostram inferiorem, Vos autem egregia illa opportunitate omnino exclusos esse putetis, sapienter nunc institutum est, ut utriusque rationis velut temperamentum adhibeatur a doctoribus, dum ii praeter perpetuas recitationes eiusmodi exercitationibus quoque vacant, in quibus quisque ea, quae in illis recondiderit, in usum mox conferre, ac disputandi liberiusque disserendi facultatem comparare possit. Ne itaque, *Cives*, reformidetis nomina *examinatoriarum* et *disputatoriarum* lectionum, quas hoc indice Vobis offerimus, allaturas Vobis utique praeclara adiumenta, non ad dicendum modo, sed etiam ad melius et subtilius de rebus ipsis iudicandum. Atque ut homines rei faciendae et augendae intenti facere solent, qui loculos suos subinde excutiunt, ut videant, quantum manserit nummorum, quantum effugerit; idem Vobis faciundum putate, neque credite, stabiles opes esse ac Vestras, quae, quantacumque assiduitate ex ore docentium exceptae, in-

digestae in arculis occultantur inque aliorum notitiam adduci refugiunt. Sed quo minus ulterius digrediamur, instituti nostri fines prohibent: atque, si pluribus aliisque rationibus, quae satis multae in promptu sunt, uti vellemus ad commendandam eam rem, quae tam apertas magnasque utilitates ipsa Vobis ostendit, minus liberaliter nos de iudiciis Vestris aut voluntate existimare videremur. Meliori igitur cum spe vocamus Vos denuo ad novos cursus laborum, ad quos ut strenue accingamini, et digna praemia inde referatis, apprecamur ex animo, et vero etiam cum auctoritate hortamur.

Hiem. 87.

V.

In Graecia olim quum primi Sophistae pretium institutionis a discipulis poscerent, Socrates autem familiaribus nulla mercede sui copiam impertiret, utrinque hac de re acriter disputatum fuisse constat. Eius disputationis specimen habemus adhuc in libris Xenophontis iis, quibus memorabiles magistri sui sermones complexus est. Nam Antiphon haruspex, Sophista, calumniatur ibi, merces viles seu reprobas esse videri, quas quis gratuito protrudat; Socrate contra-dicente, doctrinam suam omne pretium, quod pecunia reprehendi possit, longe superare. (Mem. Socr. I, 6.) Sed ea quaestio hodie haud sane quemquam sollicitet, cogitantem, quam diversa omnino nunc publicae institutionis ratio sit ab illa, quae Socratis tempore viguit. Atque etiam huius cavillationibus Seneca iam satisfecisse videri debet, qui bene vidit, liberalium artium doctoribus

non rei ipsius seu meriti, quippe inaestimabilis, sed operae et occupationis mercedem solvi. (De Benef. VI, 15.) Illud autem institutum Sophistarum, fuerunt iam olim, qui mire laudarent, atque discentibus fructuosissimum dicerent. Cupidius enim vulgo quaeri res, quae sumptu parentur, quam eas, quae nihilo constent. (Philostrat. Vit. Soph. I, 10. p. 494.)

Iam quaeret fortasse quispiam Vestrum, *Cives*, quale pretium disciplinae constitutum fuerit a primis philosophiae et eloquentiae magistris. Agite ergo, operam nobis date narrantibus, ut cognoscatis, quam prospera mercatura doctrinarum et artium in Academiis nostris Vobis proposita sit. Etenim is, qui sapientiam primus venalem circumtulisse dicitur, Protagoras Abderites, ab auditoribus non minus quam centum minas exigebat; quae ad nostrae pecuniae rationes reuocatae efficiunt fere 2000 imperiales. (v. Diog. Laert. IX, 52. ibique Menag.) Hoc quum alii testantur, tum Quinctilianus, ubi narrat, Evathlum, eum cuius lis cum Protagora satis celebris est, ab hoc magistro ar-

tem dicendi didicisse decem millibus denariorum. (Inst. Orat. III, 1.) Hanc eandem summam Zenoni quoque datam esse a discipulis, testimonio Platonis scimus. (Alcib. I. p. 218. A. Steph.) Est is, vt ex collato loco Parmenidis p. 127. B. constat, nobilis Eleates, quem hinc probabile fit eodem tempore cum Protagora Athenis docuisse, ut recte eum in numerum primorum Sophistarum retulerit Isocrates, male reprehensus a Meinersio (Geschichte der Wissenschaften T. II. p. 225.) Istorum autem virorum exemplum statim, vt fit, plures sequuti sunt, in his maxime Leontinus Gorgias, centum et ipse minis docens. (Diod. Sic. XII, 53. Suidas h. v.) Atque ea merces, quae veremur ne audita multos Vestrum terrore percutiat, usitata temporibus putari debet Socratis. Nam quod Evenum Parium apud Platonem contentum legimus fuisse quinque minis (100 thal.), id homini proprium ut credamus, ipsa Socratis urbana cavillatio suadet. (Plat. Apol. Socr. p. 20. B.) Verum mox post mortem Socratis, afflicta republica Atheniensium, quum iam plures hanc docendi provinciam invasissent, salubrius pretium inductum videmus. Quippe Isocrates

mille drachmarum (200 thal.) didactrom accepit, si fides habenda lepidae narrationi, quae obvia est apud Pseudo-Plutarchum de Vit. X. Oratt. (T. II. p. 837. D.). Nempe ad Rhetorem iuvenis dicitur accessisse Demosthenes, quoniam toti didactro solvendo non esset, CC drachmas offerens, ut quintam tantum partem artis oratoriae disceret. At ille, Non frustatim, dixit, concidimus artem, sed facimus ut ii, qui bonos pisces in foro vendunt totos. Ita et ipse tibi, si discere cupis, universam artem tradam. — Docuerunt tum temporis eodem pretio et alii, ita tamen, ut id pro varia discipulorum fortuna et conditione modo auxisse videantur, modo minuisse. Ceterum summas istas omnes pro institutionis cursu, quem dicimus, universo, easque a singulis auditoribus solutas putate. Itaque non mirum est, maximas saepe opes docendo sibi parasse Sophistas, cuius rei plura habemus testimonia apud Platonem. (Vid. v. c. Menon. p. 91. seq. Hipp. mai. p. 282.). Fuerunt enim inter eos multi, qui doctrinam non erubescerent ad illiberalem quaestum referre, ut etiam nummos ab auditobus repraesentatos undique curiose versarent,

atque adeo statera apposita examinarent. (Themistius Or. I. p. 5.)

Sed haec hactenus. Nam iustam disputationem de honorariis veterum magistrorum hic locus non capit, et proxima forsan occasione ad eandem rem redibimus. Nunc unum tantum hoc volebamus efficere, *Cives*, ut intelligeretis comparatione instituta, quam bene Vobiscum actum esset nostra aetate, et in nostra maxime Universitate litterarum, ubi doctorum auditoria partim facillimum praebent aditum, partim, quae Optimi Regis munificentia est, etiam gratis patent. Ita ad novas auditiones, etc.

VI. d. 1 Sept. 1788.

Carneades, novae Academiae princeps, uti legimus apud *Diogenem Laertium* *), tam contenta solebat voce in scholis clamitare, ut praeses Gymnasii (ea enim loca constat tum pro auditoriis fuisse) mitteret ad eum, ut submissius aliquando loqui vellet. Quid philosophus? *Modum vocis* poscit a Gymnasiarcho. Tum ille contra: *Modum habes, auditores tuos!* Et vere profecto. Nam si, quid locus, res ac tempus ferat, in omnibus observare prudentis est; quidni idem putemus locum habere in voce ad auditorum numerum componenda, eumque inepte facere, qui, aures assidentium

*) Verba eius e lib. IV. segm. 63. haec sunt: Ἦν καὶ μεγαλοφωνότατος, ὥςτε τὸν γυμνασίαρχον προςπέμψαι αὐτῷ, μὴ οὕτω μὴ οὕτω βοᾷν· τὸν δὲ εἰπεῖν· Καὶ δὸς μέτρον φωνῆς! Ὅθεν εὐστόχως ἑλόντα ἀμείψασθαι· φάναι γάρ· Μέτρον ἔχεις, τοὺς ἀκούοντας.

Cf. alio sensu Cicero (Orator. 8): Semper oratorum eloquentiae moderatrix fuit auditorum prudentia.

tenere cupiens, adeo vociferetur, ut eorum quoque obtundat, qui forte in publico ambulant? Verum multo latius, vt assolet in talibus, patet dicti vis et significatio; neque temere eo nos abuti dixeritis, *Cives*, si ad nostrae aetatis Academias, et ad ipsam docendi rationem ac viam transferamus. Id quorsum tendat, age nunc, quum finitae lectiones dent otium, cognoscite.

Omnino quidem duabus virtutibus perfecti doctoris laudem censendam putamus. Primum enim tali videndum est, quid doceat; hoc est, elaborandum, ut vera sint, quae afferat, ut argumentis suis nixa, ut denique ad eam, quam profitetur, disciplinam percolendam pertinentia. Quod etsi magnum est per se, nec nisi ex interiore rerum, in quibus doctrina versatur, cognitione redundat, adeo tamen eo non absolvitur docentis officium, ut, nisi alia res accesserit in ipso docendi actu bene cogitatorum adiutrix, omnis saepe et docendi et audiendi labor frustra sumatur. Quae sit ea res, dubitabitis fortasse, *Commilitones*. Neque enim ita sentimus de iudiciis Vestris, ut dulcia

ver-

verba et actionem, quae vario motu corporis gestuque agitatiore constat, quemquam putemus cogitaturum. Quippe illud lenocinium est scenae, non scholae; orationis coram vulgo habitae, non doctae ad sapientiae studiosos disputationis, qua ratio et intelligentia debet instrui, non voluntates temerario impetu agitari. Quamquam huius quieti quoque disputandi generis sua quaedam actio est, sed moderatior illa, aequabilis, atque sic temperata, ut ne quis e ligneo simulacro, cathedrae imposito, voces emitti credat. Sed alterum illud, quod ad laudem boni doctoris dicebamus requiri, non tam externum quoddam orationis est adiumentum, quam tale, quod cum ipsa doctrina rerum arcte coniunctum esse nemo dubitet. Modum dicimus, cuique rei afferendae accommodatum, qui in primis cernitur ordine, qui omnia bene distinguit, suoque ponit loco, atque genere sermonis proprio, puro, perspicuo, suavi, etiam, si locus detur, faceto, denique in omnibus partibus familiarem liberalium hominum consuetudinem aemulante.

Duas res videtis, *Commilitones*, quibus confectum officium suum putare magistro licebit, in Academia praesertim docenti. Nec vero nos impedimus. Unam tamen sentiet requiri rem, si Gymnasiarchi dictum cogitarit, aliquantulum a sensu suo proprio deflexum, neque sane rem nullius ad bene docendum momenti. Nam, sicut vocis ac soni mensuram petendam sibi ducet ex auditorum numero et coetu; ita novam quandam mensuram doctrinae praescribunt eorundem ingenia, sollertiae captus et litterarum in inferoribus scholis contracta notitia; quibus rebus saepe illius mire variatur iudicium, quid potissimum sit in praelectione afferendum, et qua quidque via et ratione afferri oporteat. Constat, id in quovis coetu, qui ad discendum convenit, difficultatem habere: quantam habere putatis in his nostris auditoriis, quae tanta varietate complentur et ingeniorum et profectuum? Ita apud eos, qui satis magnam rerum, quae e scholastica disciplina petuntur, copiam, linguarum maxime et historiae cognitionem, subactamque his studiis vim iudicandi ad subsellia academica afferunt, multa saepe vel praeter-

mittere licet, vel submissa quasi voce tangere, quae, ne secus exaudiantur ab imparatis, quandam poscunt veluti vocis contentionem. Vnde fit interdum, ut, quem verbosum clamosumque magistrum putant ii, qui purgatiores adhibent aures, eundem alii surdastri tamquam paucorum verborum hominem mirentur et parum vocalem. Quam molestiam, quum nemo sit, qui plane possit docendo effugere, eius tamen molestiae nonnulla remedia sunt. Unum nunc ponamus, idque summum, et quo in simili varietate lectorum etiam scribentes uti solent. Est autem hoc, ut is, qui docet, e maioris partis norma sibi mediam quandam classem auditorum fingat, quam animo habeat propositam, cuiusque captui et res et orationem attemperet, cavens, ne, quum ii, qui sensu Romano in classicis censeri possunt, aut rebus ipsis, aut rerum tractandarum artibus instructiores e scholis redierint, nihil inde ceteri traxisse, bonasque horas perdidisse videantur. Atque eo temperamento et ipsi quum antea usi sumus, tum utemur etiam in iis recitationibus, quarum descriptionem haec tabula habet.

Vobis autem, *Commilitones*, quid haec ratio imponat negotii, apparet. Nempe id vicissim a Vobis exigitur, ut ad novas auditiones afferatis aures, elementis litterarum bene praecultas, et sono illi medio, academica tamen institutione digno, percipiendo pares, atque tum quoque, ubi forte submissior fuerit aut etiam pro hac temporum conditione debuerit esse, officium suum non recusantes.

...erant hac in ed. pr.

VII.

Cicero quum loco quodam (est is de Offic. III, 2, 5.) ad filium scripsisset, Athenis tum agentem litterarum caussa, *grave eum onus suscepisse et Athenarum et Cratippi, ad quos quum tamquam ad mercaturam bonarum artium esset profectus, inanem redire turpissimum esse;* quum igitur ille ibi ita scripsisset, fuerunt passim, qui *mercaturam artium* ad Academias nostras transferrent, et mire sibi in hoc loquendi genere placerent. Qua in re sane nihil est, quod peccatum dixeris, nisi quod interdum *mercaturam*, quasi *mercatum* legissent, contra usum Latinitatis de loco acceperunt. Etenim ipsae res habent quandam inter se similitudinem. Urbs illa Attica abundabat opportunitatibus discendi; magistros habebat plures eosque laude eruditionis florentes; studiorum cursus ibi a iuvenibus per plures annos trahebantur; locus ipse non erat multitudine incolarum differtus, nec

desertus tamen, ac tum inprimis saepe ab externis et peregrinantibus obitus; neque etiam plane carebat illecebris malorum, voluptatis et desidiae, nec hominibus corruptoribus iuventutis*), et quae id genus alia sunt. Sed ut hoc mittamus, novoque modo ista imagine mercaturae utamur, agite, *Cives carissimi*, audite, quo rem deducamus.

Confluunt ad mercatum et ad eos, qui res venales habent, alii visendi caussa, maior pars emendi. Sed illi quidem nihil ad nos; quum non temere quemquam in Academiis nostris credamus studiosi nomen et personam gerere, quem duntaxat urbis visendae, coetuum obeun-

*) Pudet dicere, in magistrorum quoque numero ibi tales fuisse. Unum nominamus, cuius haec non bella fama ad nostra tempora mansit, GORGIAM, Rhetorem, cetera doctum in arte sua hominem, et cuius scriptum quoddam etiam nunc in manibus est *de figuris dicendi*, Latine conversum illud et in epitomen contractum a RVTILIO LVPO, Augustei saeculi scriptore. Eloquentiam ille Athenis docuit tum, quum Cicero filius ibi versaretur, verum huius artis non magis, quam

dorum aut tabernarum et popinarum cupiditas eo perduxerit. Altera autem pars, emptorum dicimus, ipsa quoque duplex est inprimis. Nam alii coëmunt res iam ab artificibus confectas et ad usum paratas, et omnia emunt, ut vendant statim. Alii non nisi materiem coëmparant, unde ipsi merces elaborent, aut per operas confici in officinis et fabricis curent. Nolite quaerere, *Cives*, utrorum inter hos conditio melior sit et lucrosior. Quamvis enim horum pecuniâ fere una cum mercibus instructis dies otiosi comparentur, quum nihil aliud quam coëmpta circumferre, aliove modo venum exponere opus sit: tamen qui operaria pretia rerum simul solvit, eum necesse est

ebrietatis et vitae dissolutae, magister fuit. Quare Ciceronem a patre ab eius usu graviter abductum legimus. Traxit fortasse herois filius ex disciplina illius hoc, quod *binos congios uno tenore haurire soleret*, id quod Plinius narrat H. N. XIV. extr. Haustus horrorem facit. Sunt enim duo congii nobis Halensibus ferme 4 *Kannen*. De Gorgia v. Cic. Epp. XVI, 21. Plutarch. in Cic. p. 873. A. et conf. Ruhnken. V. C. Praef. ad Rutil. p. II.

magnam partem de quaestu, quem ipse facere posset, alii concedere. Quid? quod, si quando publicus sapor saeculi mutat, et, quas res primum unice amabat, mox easdem odit et adspernatur, saepe summum detrimentum huic generi mercandi propositum est, aut certe damnosa venditio.

Non in omnibus quidem par est ratio eorum, qui ad artes et doctrinas sibi parandas in Academias venerunt. Ac maxime ab his emporiis ipsa rerum natura eos excludi putes, qui rem quamque ad vitae futurae usus plane instructam et apparatam quaerant, ut emant, quod vendant quamprimum, nulla in re mutatum. At dubitamus tamen, an id genus emptorum nobis omninò desit. Nimirum hodie iuvenes saepe audiunt eos, qui putantur aliquid esse in literis, clamantes, quaecumque in doctrinarum studiis discantur, aptanda illico esse ad usum aut *ad praxin:* nam Graecò verbo libentius utuntur isti scilicet: quam orationem quum forsan etiam aliter intelligant, quam isti vellent, inertiae et desidiae suae praetextum faciunt. Itaque sibi beati videntur, si in doc-

torem incidunt, minima mansa apponentem, et in auditionibus omnia ad ministeria manuum revocantem, qui capsas sibi expleat, olim, quidquid opus fuerit, elaboratum tantumque non perfectum reddituras: velut machinas habemus arithmeticas, quae calculos subducunt nullo nostro *animi capitisque labore.* Nolumus autem explicare, quam misera sit huius mercaturae conditio, et quam parum decora dignitati litterarum, in quibus si qua mercatura est, non nisi talium rerum esse potest, quas proprio quisque ingenio elaborare, et sua facere, augere etiam novis aut aliorum repertis, aut suis, dein quum necessitas venerit, adhibita animi sollertia et vi iudicandi ad muneris futuri usum rationesque accommodare debeat.

Iam exspectet aliquis Vestrum, *Cives*, ut de iis dicamus, qui ad mercatus conveniunt vendendi gratia, sive magnarii sunt, sive institores, sive caupones, sive etiam scrutarii. At sane quam illepida res est et invenusta, dicti alicuius vim ita in omnes partes trahere,

et explicando quasi circumradere, vix ut mica salis ex eo relicta sit. Et erunt alia tempora scribendi, si quid erit. Nunc Vos valete, *Cives*, et ad artium atque doctrinarum mercaturam Mercurio utimini prospero.

VIII.

Ad renovandum cursum laborum vocandi estis, *Commilitones*. Huic autem praeconio, scitis, a nobis proludi solere memorabili aliquo dicto Sapientis, e communi orbe liberalis doctrinae, hoc est, e docta antiquitate plerumque petito, et tali, quod cum vitae Vestrae consiliis et studiorum rationibus quodammodo coniunctum sit. Eumque morem nec nunc omnino deseremus. Verum quum nimis recens in mentibus nostris inhaereat desiderium REGIS, quo summo Auspice laborum nostrorum civitas haec litteraria per XXXXVI annos stetit, incrementaque cepit laetissima, atque nos in unius Huius animo, quem fata non amplius concedunt terris, defixos teneat dolor grauissimus; non sollemni solum consuetudini prooemiorum, sed adfectui etiam nostro satis videmur facturi, si novi huius Sapientis sententiam Vobis proponamus, quae ut virtutis omnis

studioso, ita maxime his, qui studiis litterarum operantur, ad omnem vitam saluberrima debet haberi. Reperiuntur enim in horum numero non pauci, et plures fortasse hic, quam in alio vitae genere, qui celebritati nominis plus quam par est tribuant, a re leuissima, rumoribus, pendeant, suaque consilia fere ad aliorum hominum opiniones, ad vulgi favorem et popularem auram attemperent. Atque inter hos quotusquisque erit, qui proprios facere ausit gravissimos versus, quibus DIVUS ILLE in Epistola *ad Bredowium* extrema Bonam Famam *) alloquitur:

O Gloire, Illusion! Cesse de nous séduire!
L'amour de la vertu doit tout seul nous conduire;
Mon coeur doit me juger; s'il m'approuve, suffit.
J'arrache ces lauriers, qu'on me prête à credit.

*) *Sur la Reputation.* Bonam Famam diximus Ciceronis exemplo, qui Graecum Εὐδοξίαν, quod Gallico vocabulo optime respondet, sic Latine vertendum putauit *De Fin.* III, 17. qui locus cum versibus istis conferri meretur.

Quoi! Je voudrais devoir mon nom et mon mérite
Au caprice inconstant d'une foule séduite,
Et n'être vertueux que pour me voir louer!
Que le monde me blâme ou daigne m'avouer,
Je ris de son encens, qui s'envole en fumée,
Et du peuple insensé qui fait la renommée.

Horum versuum quanta sit vis et magnificentia, non disertius dicamus; quum nemo sit Vestrum, *Cives*, cui non generosissimus Illius animus videatur, qui id ipsum, cuius gratia tot homines nec ignobiles saepe deliniuit, ita contemnere potuerit. *Laudis enim studio tenemur omnes, et optimus quisque trahitur gloria.* Neque id a quoquam facile improbabitur, si modo in iis, quae suscipimus, optimorum et cordatissimorum suffragia sectemur. Nam in hoc ipso bene vivendi praesidium non leve inest, nec multorum ea vis animi potest esse, ut solius virtutis caussa agant omnia, recteque factorum praemia una conscientia sua contineri putent. Sed aliud est genus famae, ad quod grassari cuilibet facillimum est, quoniam imperitae et ventosae plebis suffragiis conflatur: quod ut asse-

quamur in litteraria civitate, nihil saepe utilius est quam quaedam non nimis illiterata mediocritas. Atque hoc illud est, cuius contemptum Divi Friderici carmen docet. Quae quidem auctoritas quum iam per se apud Vos summa sit, tum eadem gravissima videbitur, si cogitetis, nullum umquam fuisse nec privatum nec Regem, qui illius iudicii vim ipsa vita melius docuerit, magisque et constantius servaverit illud: οὐ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλειν*). Imitemur Eum in hoc; hoc opus, hoc studium iuvenes properemus et senes, si patriae cari vivere volumus, si non indigni Principibus, FRIDERICO MAGNO, et felici Eius successore, FRIDERICO GUILIELMO, quem REGEM Musae nostrae faustissima acclamatione salutant.

*) Aeschyl. S. ad Th. vs. 594. Versus ex Aristidis historia notissimus.

IX.

Memorabilis, neque omnino inelegans locus est apud *Ammianum Marcellinum* de Iureconsultorum suae aetatis intolerabili inscitia, quorum unum adeo genus (nam in varia genera et ordines ibi distinguuntur) ita imperitum esse memorat et ab omni humanitate alienum, ut, *si in circulo doctorum auctoris veteris inciderit nomen, piscis aut edulii peregrinum esse vocabulum arbitrentur* *). Satis hoc quidem ridiculum, nec vana tamen ea cavillatio videri debet. Constat enim, quam a temporibus inde Modestini, qui magnorum Ictorum quasi agmen claudit, inter Romanos

*) V. Ammian. lib. XXX. c. 4. praecipue a verbis: *Quartum atque postremum est genus impudens, pervicax et indoctum, eorum, qui quum immature e litterariis ludis eruperint, per angulos civitatum discurrunt, mimiambos, non caussarum remediis congrua, commentantes,*

deploranda facies fuerit eius scientiae, quam qui felicioribus saeculis profiterentur, magnificum nomen Sapientum merebant: ita eam tunc invaserant homines illiteratissimi, canina quadam facundia pollentes, ineptique formularum cantores, quos vel leguleiorum nomine, certe si Ciceroniano sensu verbum adhibendum sit, nimis honorari dicas. Verum, quod de illis *Ammianus* prodidit, haud scimus an idem vel simile quid hodieque in civitate litteratorum subinde usu eveniat. Nam etsi in hac luce litterarum nemo facile reperiatur paullo callidior, qui isto modo sese deridendi materiam aliis praebeat, neque hodie sint fortasse, qui, quod olim factum narrant, Articulum Smalcaldicum aut Decalogum pro heroibus antiquitatis habeant; nihilo minus rustica vitia etiamnunc committi solent ab his, qui

fores divitum deterendo, coenarum ciborumque aucupantes delicias exquisitas etc. p. 488. ed. recentiss. Ad quem locum conferri utiliter potest inter Panegyricos latinos *Mamertinus Iun.* in Grat. Act. ad Iulian. T. II. p. 178. nuperae edit. *Jägeri* V. C.

qui disciplinarum historiam atque scriptorum in quoque genere optimorum cognitionem nihil ad se suaque studia pertinere credunt. Scilicet debemus hoc praeter alia multa nuper inductae eruditionis formulae, quam vulgo mirifice iactant, *populari*, ut pauci ultra vulgaris compendii maciem sapere audeant, eaque plerique fastidiant tamquam inutilia, in quibus ad panem et victum parandum nihil praesentis auxilii inesse viderint. Adeo, ut in ceteris rebus, ita in hac quoque, dum vitarunt vitium, in contrarium stulti cucurrerunt. Etenim maiorum nostrorum memoria, in illa studiorum rigida severitate, istis rebus interdum nimiam diligentiam tributam fuisse, ac multos paene putidulo studio minutiarum ablatos, quis sanus nunc negaverit? At non multum abest, quin illorum obscuram sedulitatem bellulae huic et delicatae negligentiae longe anteferendam censeamus. Quid, quaesumus, attinet, libellorum maximam partem proletariorum et iocularium, quibus saeculi nostri seu potius quinquennii genio litatur, auctores exquirere titulosque mox cum ipsis chartis perituros cognoscere, quum tot principes viri vere-

que classici cum meritis suis in omne genus litterarum immortalibus pernoscendi sint, quorum opera et ingenio, quidquid iam utile discimus, et partum et auctum est! Istis quidem, qui sutorium opus exercent, licebit sane absque existimationis suae detrimento et antiquitates artis et Camperi recens inventum ignorare. Sed qui doctrinarum studia non ut opificium aliquod sequuntur, (quod profecto piaculum foret, utinam a nemine commissum!) hi quantis se commodis praesidiisque defraudent huius quasi domesticae historiae neglectu, ita facile est ad assequendum, ut prolixius id nunc docere velle molestum sit. — Sat multa prolusimus, quae *volentes* et *facientes* iuvare possint. Neque in hoc aditu lectionum ea sunt praecipienda, quae auditionibus ipsis praeconio nostro indictis accuratius exposita accipere opportunitas erit. His igitur ceterisque scholis, in usum Vestrum mox instituendis, *Commilitones humanissimi*, ut studio, assiduitate animorumque intentione adsitis, atque inde idoneos fructus capiatis, ex animo adprecamur.

X. P. 28 Apr. 88.

Non alienum putamus, *Commilitones*, a scriptionis huius consilio, hoc est ab indicio praelectionum, quas in hac Universitate litteraria per aestatem proxime a nobis habendas offerimus, de ipso vocabulo *litterati* paucula ad Vos proludere. Sicut enim, ex quo proprius horum hominum ordo in civitates inductus est, plura ex tantilla re subnata incommoda sunt ipsarum litterarum, ita etiam ex eo maxime invaluit usus nominis litteratorum pravus et verae eruditioni iniquus, quem in dies hodie latius videmus serpere. Nam quum homines olim non nisi ex litteris litteratum, uti e doctrina doctum, metiri atque appellare consuevissent: hodie, *iudice, quo nostis, populo*, id ad nominis huius honorem impetrandum satis est, si te in Academia aliquando versatum esse matricularum fide testatus mox locum in coetu doctorum occupaveris. Sic litterariam civitatem dixeris prope iisdem legibus ordinatam, quibus opificum corpora videmus

constituta esse. Nam in haec si quis tirocinio posito adoptatus fuerit vel sartor vel scriniarius, licet opus suum pessime faciant, eodem tamen fruuntur iure, quo ceteri, eandem artem qui optime exercent. Quid? quod ab his ipsis sellulariis nemo nisi post specimina et documenta opificii exhibita in numerum recipitur atque magistri operarum nomen accipit. Litterati *) autem nomen et ornamenta tam vili habentur pretio tamque facile parabilia, ut mirum non sit, iam ea subinde sibi deposci ab iis, quibus nihil umquam rei fuit cum litteris magis, quam literato isti servo apud Plautum. At vero *litterae* quam vim habeant, quantumque oneris imponant ei, qui verum inde nomen sibi sumere cupiat, id Vos aliunde audire ac discere poteritis. Atque haec, quae scripsimus, satis iam sapientibus videri possunt. Nunc agite, *Cives carissimi*, nova haec laborum curricula praeparatis animis intrate, tantumque inde fructus capite, ut olim non *litterati* tantum, quae professionis est appellatio, sed *docti* atque *eruditi* nomen, propriae virtutis praemium, affectare possitis. Valete.

*) *Homme de lettres, Gelehrter* etc.

XI.

Fuit olim, *Commilitones*, in Britannia indoctus quidam sacrificulus, qui triginta per annos recitans librum horariarum precum, quod Breviarium vocant, pro verbo *Sumpsimus* legere solitus erat *Mumpsimus*. Is quum natu iam grandior ab amico ultra ordinem litterato monitus esset, ut ridiculum errorem deponeret, vocem insolitam miratus religiosus homo, pro simplicitate sua respondit: non videre se, cur *antiquum* suum *Mumpsimus* mutaret *novo* alterius *Sumpsimus*.

Lepidam fabulam, cuius nos saepe recordamur in gravioribus rebus occupati, primus prodidit scriptor hodie obscurior, suo aevo non ignobilis, *Richardus Paceus* in libello *de fructu qui ex doctrina percipitur* *). Inde repetiit eam *Rich. Bentleius* in Praefatione ad Dissertationem, qua ratiunculas a *Boyleo*

*) Pag. 80. Editus est libellus Basileae 1517.

Fabellam latius vestigii narratam leg. Anal. N. 2. p. 275.

allatas ad auctoritatem falso Phalaridi conciliandam invictis argumentis refutans, eximiam critici acuminis et antiquae eruditionis copiam exhibuit *). Nimirum ea disputatione id assecutus est vir sagacissimus, ut, quod paucis sui temporis eruditis persuadere posset, caeco partium studio in transversum abreptis, centum post annos nemo non concedat paullo politior, planeque appareat, satis novam esse eorum imperitiam, qui in istis epistolis priscum tyrannum sibi legere viderentur, atque veteres vel extremorum saeculorum Criticos non magis quicquam Phalaridei scripti quam tauri Perillei ad sua tempora servatum somniasse.

Itaque litterarum et artium historia docet evenisse saepius, ut validissima plurium aetatum commenta unius praecellentis ingenii cura et sagacitas convellerit funditusque deleverit. Quamquam tardior plerumque curatio est errorum, qui cito animis obrepserant. Nam ita

*) Ex anglico exemplari: *a Dissertation upon the Epistles of Phalaris* etc. Lond. 1699. Pref. p. XCI.

comparati sumus homines sive natura seu potius prava consuetudine, ut, quum multarum opinionum temere captarum ludibriis turbentur iudicia nostra, nonnumquam una haec nos caussa a vero avertat, quia id novum nobis et inauditum accidit. Constantes scilicet volumus videri et graves, dum ea, quae pueri arripuimus, quum magistri alicuius auctoritatem vel etiam imperitae multitudinis voces, non certas rationes sequeremur, viri senesque tenemus, neque a prudentioribus dedoceri nos libenter patimur. An, sicuti membra corporis diutius uni et simplici motus generi adsueta vix officiis suis commode fungi possunt, sic animos dicamus a prima aetate ad credendum magis quam ad exquirendum institutos, naturali vi amissa, ad novum quemvis sensum immobiles obtorpescere? Utut est, morbum mentis hunc esse intelligitis, in eo, qui verae sapientiae ac doctrinae se dedidit, minime ferendum. Nam vulgum hominum facile ferimus, atque etiam malumus, in plerisque, quae ad recte vivendum munusque suum obeundum non pertinent, antiquas tenere sententias et consuetudines: istorum quippe est de plurimis

rebus credere potius quam scire et ratiocinari: verum longe id contra est in accuratae doctrinae studioso. Nempe hunc saepe et diligenter excutere se oportet, ut sciat, quid tandem vere sciat ex iis, quae sibi videtur scire, quid caussarum intelligentia didicerit, quid contra temere arripuerit; tum cuiusque rei, quae obiecta est, rationes indagare earumque momenta subtiliter exigere; nullam sententiam amplecti, nisi quae idoneis argumentis firmata sit, ab incertis autem vel nondum satis liquidis assensionem cohibere; denique ita sese componere, ut nihil doleat opinione, quam prius adamaverit, erepta vel labefactata. Hanc temperantiam, cupiditatis in studiis non minus quam in vita perniciosae moderatricem, qui mature sibi propriam fecit, id unice quaerendum putabit, an quid recte dicatur et vere, non utrum antique an nove. Nihil enim haec quicquam ad rem faciunt; siquidem multa, quae tibi videntur nova esse, ceteris antiqua erunt, et contra; atque adeo in ipsis doctrinis occurrunt, quae, quum novitate et insolentia offendant, tamen summam habeant auctoritatem vetustatis.

Sed quorsum haec tam seria oratio super iocułari historia? Ut intelligatis, *Cives*, quid in audiendis praelectionibus, ad quarum renovationem denuo Vos vocamus, sequendum sit maxime aut fugiendum. Accipietis in iis partim plura, eruditis avis nostris proavisque nota, quorum loco fortasse novos errores ex puerili disciplina traxistis, partim autem nova ac nuper excogitata, quae ad inveteratas opiniones convellendas valeant. Ad utrumque rerum genus sic praeparata pectora afferte, ut nec vetusta Vobis sordeant, neque fraudi sit commendatio novitatis.

XII.

Imitemur in posterum quoque in his prolusionibus *L. Senecae* institutum, quo is ad *Lucilium* scribens ex quotidiana lectione ac meditatione aliquid affert assidue, quod vel ab ingenioso acumine commendetur, vel vitam humanam salubri consilio instruat. Ita nos item, sicubi in bonorum scriptorum dicta inciderimus, sive ioca sive seria, quae nec iniucunda cognitu, neque a studiis Vestris aliena videantur, Vobiscum, *Commilitones*, per has occasiones communicabimus.

Talis locus est in opere *Georg. Phranzae* Protovestiarii, quod, nuper tandem primum editum Graece, res Byzantinas, et civiles et ecclesiasticas, per duorum saeculorum decursum inde a medio tertio decimo persequitur. Ibi quum lib. II. c. 13. ad mentionem concilii Florentini pervenit, quo concordiam sacrarum quarundam formularum Graecos inter ac La-

tinos tentatam esse constat, suam de ipsius huius consilii utilitate sententiam explicaturus, hunc fere interponit sermonem *). A longo tempore, inquit, Constantinopolitani per pla-

*) Graeca ipsa subiiciamus, specimen orationis pro barbara aetate minime spernendae: Ὡς εἰπεῖν ἐν παραδείγματι· Ὅτι τὴν μέσην ὁδὸν τῆς πόλεως, τὴν πλατεῖαν καὶ εὐρύχωρον, διερχόμεθα πολλοὺς χρόνους μετά τινος, δι' ἧς κατηντῶμεν εἰς τὴν ἁγίαν Σοφίαν· εἶτα μετά τινας καιροὺς εὑρέθη παρά τινων καὶ ἄλλη ὁδὸς καταντῶσα, ὡς λέγουσι, καὶ αὐτὴ ἐκεῖ, καὶ παροτρύνουσί με λέγοντες· Ἔλθε καὶ σὺ διὰ τῆς ὁδοῦ ταύτης, ἣν εὕρομεν· καὶ γὰρ εἰ καὶ ἔστιν αὕτη, δι' ἧς ἀπέρχῃ, καλὴ καὶ ἀρχαῖα, καὶ ὑμῖν ἀρχῆθεν γνωστὴ καὶ σὺν ἡμῖν διερχομένη· ἀλλὰ καὶ αὕτη, ἣν εὕρομεν νῦν, καλή ἐστιν· ἐγὼ δ' ἀκούων παρὰ μὲν τῶν, ὅτι καλή ἐστι, παρὰ δὲ τῶν, ὅτι οὐ καλὴ, καὶ ἀσυμφωνία οὖσα ἐν τῷ μέσῳ, Διὰ τί μὴ, εἶπον, μετ' εἰρήνης ἀπέρχεσθε καλῶς εἰς τὴν ἁγίαν Σοφίαν, ὅθεν βούλεσθε; ἐγὼ πάλιν διέλθω διὰ τῆς ὁδοῦ, ἣν καὶ μεθ' ὑμῶν πολλῷ χρόνῳ διηρχόμην, καὶ καλὴν αὐτὴν, κ. τ. λ. pag. 39. edit. Alteri V. C. Vindobon.

team urbis mediam et latissimam consueramus ire ad aedem S. Sophiae. At exorti sunt, qui aliam viam ostenderent eodem ducentem, quam huic a maioribus tritae praeferrent. Quin tu, ait passim eorum quispiam, qui sibi sapientes videntur, quin tu eadem, qua nos, via uteris? sit sane vetus ista pulchra satis et commoda; at ne haec quidem, quam nos reperimus, non est pulchra. Hic ego, quoniam alios video esse, qui novam viam minus probent, sic responderim: Agite, o boni; ite in pace, per quamcumque plateam vobis placuerit; ego vero eandem tenebo, quam tenui olim: si modo utrique tandem conveniemus in templum Sophiae.

Scita est haec fabula, *Cives*, atque talis, quam ad alia multa translatam, non minus aptam et uberem sapientiae existimetis. Nam ut in gravissimo genere rerum, quod ad solidam hominis felicitatem pertinet, pro ingeniorum diversa indole diversas ingredi licet vias, quae, quamvis huc illuc reductae, tamen strenue currentem ad id, quod consequi omnes volumus, perducant: sic etiam in studiis doc-

trinarum et artium haud unum iter est ad summam illam, in qua paullo liberalior quisque defixam cogitationem habet. Vix opus fuerit admonere, eam summam non esse in iis, quae stultus Strepsiades apud Comicum crepat τἄλφιτα, id est, in *pane lucrando;* siquidem non de sordidis opificiis agimus, sed de iis studiis et artibus, quae nisi apud cordatiores populos olim propter unam animi ingeniique culturam quaesitae essent, fortasse, uti nunc res sunt, aut nullas aut certe parum ingenuas haberemus. Harum igitur litterarum honorem turpiter maculant, qui eas ad vile lucrum et ista consilia referunt, quorum etiam opificem nobilium artium erectiorem pudeat. Iam vero ad perfectam illam animi nostri culturam, doctrinae cognitione parandam, pluribus itineribus contendi posse, ex eo apparet, quod nulla temere ars est, nulla disciplina, quae non in eo, quod verum est ac decens, plus minusve elaboret. Qua in re unum hoc Vobis cavendum est diligenter, ne in tenuibus veritatis et pulchritudinis frustulis haereatis, sed sua quisque doctrina, quantum res sinit, utatur pro gradu ad ipsum verae sapientiae fastigium

occupandum. Hactenus dicere recte licet, non eadem omnes via sapientes fieri et bonos; itemque licebit, si varios docendi discendique modos spectemus, rem utilissimam, pro qua si ab imperitis una quaedam et simplex formula induci posset, eruditio a dignitate sua detruderetur ad vulgaris opificii ignobilitatem. Ita inprimis statuite, *Cives*, de his discrepantibus unius disciplinae viis, quas litteraria Universitas tam largiter offert; in qua ipsa diversitate et plurium magistrorum audiendorum copia eximium ad ingenia expolienda praesidium positum putate. Saepe quidem de optimis studendi rationibus magno animorum motu certatum est; sed earum rationum ut aliae haud dubie praestent aliis, nulla tamen per se erit reiicienda, si modo denique ad verum, quem posuimus, finem studiorum referatur. Minime vero illae, quae operosiores vel impeditiores videntur, ob id ipsum improbandae sunt; quin etiam difficultas viarum hic interdum in laudem trahi debet. Nempe *difficilia sunt*, ut Plato ait, *quaecumque pulchra sunt*; neque in cursu litterario quaeritur, quam eum

cito confeceris, sed quam recte, quam ad omnis vitae reliquae fructum accommodate.

Verum consuetudinem Senecae imitari volebamus, qui effata sapientum breviter proponere solet, non molesta disputatione in omnes partes versare. Itaque ipsis Vobis fabulae nostrae vim perpendendam relinquimus, ut vel de diverse opinantium in omni opinabilium rerum genere sententiis lenius iudicetis, vel ne temere antiquas et maioribus nostris tritas studiorum vias nuper excogitatis posthabendas credatis: modo hoc memineritis, per assiduitatem lectionis et auditionis, per propriarum virium in commentando et scribendo pericula, non per compotationes, ganeas, aleam et lustra, neque adeo per aquas amoenas vicini agri, viam ducere ad sanctam Sapientiam etc.

Sen. ep. 27.

XIII.

Lett. prec.

CALVISIUS *memoria nostra fuit dives, et magnus eruditionis affectator. Huic memoria erat tam mala, ut illi modo nomen Ulyssis excideret, modo Achillis, modo Priami, quos tam bene noverat, quam paedagogos nostros novimus. Nihilominus eruditus volebat videri. Hanc itaque compendiariam excogitavit. Magna summa emit servos, unum, qui Homerum teneret; alterum, qui Hesiodum; novem praeterea Lyricis singulos assignavit. Postquam haec familia illi comparata est, coepit convivas suos inquietare. Habebat ad pedes hos, a quibus subinde quum peteret versus, quos referret, saepe in medio versu excidebat.* ILLE TAMEN IN EA OPINIONE ERAT, VT PVTARET SE SCIRE, QVOD QVISQVAM IN DOMO SVA SCIRET.

Ve-

Vetus est, non nova narratio, *cives* quippe exposita a nobis ipsis verbis *Senecae* Epist. XXVII. Verum res est eiusmodi, ut hodieque de multis nostrorum hominum, in paucis mutata, eadem narrari possit non inepte. Quamvis enim nunc nemo temere sit, qui in circulis et conviviis nomen eruditi aucupari studeat Homeri ac Lyricorum versibus citandis, passim occurrunt tamen, quos hactenus eadem compendiaria via uti videas, ut *se opinentur scire*, quae sciant nota cuiquam esse vel e familia sua vel e clientela, vel etiam aliis, quorum aut libros in pluteis servant, aut mercenaria opera ad doctrinae famam utuntur, aut cum quibus interdum sermones conferunt de rebus litterariis. Ac putemus prope, eam rem hodie tam esse usitatam, ut ob id ipsum animadversionem effugiat. Fruuntur vero tanto isto commodo maxime splendidi et divites, qui, uti cetera pleraque inferiorum, ita ingenia quoque tributaria sibi facere possunt. Sunt autem in eminentiore hoc hominum ordine, qui, ut cum *Appuleio* loquamur, *non suopte corde, sed alterius verbo reguntur, consilia ex alienis vocibus colligentes, et non animo,*

sed quasi auribus cogitantes. Qui quum litterarum non magis gnari reperiantur, quam bonus ille *Calvisius*, hac una re eius sunt dissimiles, quod non servos, sed liberos, homines eruditionis susurrones habent.

Sed de alio genere *Calvisiorum* nunc volebamus dicere. Nimirum, ne quid dissimulemus, accusantur hoc ipso nomine saepe studiosi litterarum, ex Academiis recentes, quod haud paullo plus artis et sapientiae scriniis teneant conditum, quam memoria et animo. Atque, ut ille ad pedes habere solebat eos, unde doctrinam suam peteret, sic isti nisi ad manum habent dictata, quae ex ore docentium exceperant, obmutescere fere coguntur. Res tum maxime fit manifesta, quum publice ad examina vocantur studiorum. Tum enim talium caussa, prope est, ut optemus, congestorum dictatorum struem ad similitudinem organi pneumatici compositam, ad sonos, quos velis, edendos arte quadam cogi posse, ut, quamcumque fistulam examinator cieat, e vestigio vox erumpat commissa. Accidit autem hoc interdum iis maxime, quorum opera qui-

dem et cupiditas auditionis adeo in Academia non defuerat, ut potius auditoria, quotquot aperta vidissent, summa cum laude assiduitatis se frequentasse, egregiis testimoniis probare possint. At etiam hoc in loco verum est, quod alio consilio dixit poeta:

SAPIAT *possessor oportet,*
Si comportatis rebus bene cogitat uti.

XIV.

Quaecumque sive bonos utilesque patriae cives Vos praestant, sive ornando expoliendoque ingenio, emendando animo, emolliendis moribus, vitam iucundam Vobis efficiunt, earum litterarum omnium doctrinam Vobis, *Cives*, hac tabula offerri atque proponi videtis. Quae quum ipsa nunc tam prolixa sit, ut prolusioni ex more praemittendae vix tantillum spatii relinquat, satis habebimus, ἀκροάματος loco brevem sententiam apponere, quae nulla longiore declaratione egeat, sed talem, qualem pro se quisque Vestrum etiam non admonitus in rem et usum convertere possit. Est vero ea, etsi dubii auctoris, inter vetustissimas tamen habenda, quas superiorum hominum memoria servatas scriptores serioris Graeciae passim monumentis suis intexuerunt. Ἔργα νέων,

βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δε γερόντων *). Quis in summa hac verborum paucitate non eximiam quandam variarum aetatum hominis notationem includi sentiat! Ita enim omnes a natura comparati sumus, ut, dum iuvenilibus annis florèmus, gnavi et agiles, nulloque saepe nec difficultatis nec impedimenti metu ad ea omnia aggredienda agendaque paratissimi simus, ad quae vel alienum exemplum nos impellit, vel propria ducit animi propensio. Ex quo singulari aetatis huius bono quantos fructus ad omnem vitam memorabiles redituros putatis, *Commilitones*, si quis e provectiore et firmata aetate id, quod illi proprium poeta tribuit, praecipiendo, consiliorum prudentiam atque acrem de rebus iudicandi sollertiam cum illa alacritate misceat, et ita velut aetatis fervorem leniat et temperet! Nihil enim, quod quis temere et inconsulte suscepit, etiam si per se fuerit praeclarum et liberali opera dignum summoque quaesitum studio, prosperos eventus habere potest. In

*) *Hesiodo* versum tributum fuissè ab Hyperide oratore legimus ap Harpocrationem p. 170. Conf. Mich. Apostol. Provv. IX, 6. et all. paroemiogr.

primis nunc Vestrum est, quum in omni studiorum ratione ineunda diligenter spectare, quid consiliis Vestris, temporibus ceterisque rebus optime conveniat; tum in hac ipsa *dubia coena*, ad quam invitamus, ante quam ad eam accedatis, explorare, quid tollendum inde, quid relinquendum sit, quidque in succum et sanguinem, ut aiunt, commode a Vobis verti possit. Ad hoc iudicium si accesserit demum animus nullo labore, nulla molestia et difficultate attonitus, impedimentorum quorumvis generose victor, tum eventus securis institutum cursum strenue Vobis persequi licebit, neque umquam erit metuendum, ne, quae proverbium habet, *senectutis vota* apud Vos olim cum temporis in Academia transacti memoria aliquid coniunctum habeant.

XV.

Apud Francogallos (sive nunc populum mutatum mutato nomine Gallofrancos appelles) nuper fuisse accepimus nescio quem, festivo sane hominem ingenio, qui precibus matutinis ac vespertinis quotidie gratias agere Deo soleret, quod *Dictionaria* seu *Lexica* facta essent et ad usum apte instructa. Adeo is prae ceteris omnibus adiumentis doctrinae, prae ipsa arte scriptoria et typographica, atque pluribus longe insignioribus, illud unum maxime et inventum admirabatur, et grato animo prosequendum tamquam caeleste donum putabat.

Miras et facetas preces, inquitis, et recte quidem. At nisi plerosque sciremus beneficiorum eorum, quae trita et vulgaria nobis quotidianus usus fecit, male memores esse, id potius mirandum videretur, inter tot litteratos, eiusmodi libris uti solitos, modo unum ali-

quando gratum esse repertum, praesertim apud eam nationem, in qua multi Dictionariis, quae vocant, vel verborum vel rerum, quasi ingenii et eruditionis vicariis, uti dicuntur. Sed omnino in hoc genere instrumentorum, sicut in aliis similibus, illud inest incommodi, quod, quum ad ipsarum litterarum incrementum et dignitatem augendam intersit ut exstent omnibusque numeris perficiantur, eadem tamen eos, quorum utilitati consulere volunt, non perinde augent vera doctrina, quod eos saepe etiam retardant magis quam incitant in via ad accuratam et proprio studio partam scientiam.. Quod quale sit, si minus ratione perspicitis, comparatio superiorum aetatum demonstrare potest. Cogitate hic nobis illos omnis polymathiae principes saeculi sexti decimi, et quibus ii Dictionariis usi fuerint, inquirite: pro grandibus his voluminibus, quae magnam partem eorundem ipsorum virorum industriae debemus, strigosos cognoscetis libellos, quos evolvere hodie paullo beatiorem ludimagistrum poeniteat. Nempe ita tum erant tempora: colligebat assidue sibi quisque et digerebat et secum portabat, quae nunc ab aliis

collecta et digesta, quando fert usus, sine ulla molestia adeuntur. Igitur nolite mirari, si quis forte talibus instrumentis ambiguam utilitatem tribuerit, aut in bonitate et copia eorum tantam, quantam vulgo putant, vim ad institutionem perficiendam esse neget. Verissimum est in his quoque levioribus rebus, quod sapientes docent, non temere quicquam vitae hominum simpliciter omnique respectu bonum et salubre datum videri.

Atqui de usu hactenus loquimur illius generis librorum, non de abusu, quem apparet tam late patere, ut et turpi desidiae et ineptae ostentationis vanitati facillimam licentiam praebeat. Nam ut alios passim videmus parum doctos, brevi aliquot horarum momento sumpto, ex Lexicis et Indicibus suis prodire mirabiliter eruditos et magno exquisitarum rerum apparatu stipatos; sic alii contra, modestiores scilicet, satis habent illa bene composita in pluteis servare, suum esse opinantes, quicquid libris, quos suo sibi aere pararunt, reconditum est; ac, dum fontes litterarum perquirere negligunt, si quando necessitas adest, secure

incubant oraculis istis, quae vel imperitissimo consultori respondere non dedignantur. Quibus oraculis utinam tandem contingat ingenium novi alicuius *Myrmecidae* sive *Ungeri* nostri, ut ea liceat vel bacillis inclusa circumferre vel capsulis, atque in conventus doctorum hominum atque adeo in publica examina afferre. Nunc fit interdum, id quod divitibus accidit nonnullis, qui in summa abundantia granariorum et cellarum esuriunt, ut *egeni et inopes simus in opibus nostris.*

Sed mittamus haec, et narremus Vobis fabulam, ut ille ait, Niloticam de prima inventione artis scriptoriae, a *Platone* proditam in extremo dialogo, qui *Phaedrus* inscribitur.— Audivi, ait *Socrates* ibi in sermonem inductus, aliquem fuisse quondam in Aegypto, qui scientiam numerorum et geometriam et astronomiam, praeterea tesserarum talorumque ludum, denique etiam formas litterarum sive artem scribendi invenerit: nomen mirabili viro *Theuth*. Is quum ad regem illius regionis *Thamum* venisset, ut nova ei artificia ostenderet, quantocius, ut ipse quidem censebat,

per omnem populum divulganda, Rex deinceps percontatus ex eo, quam rebus singulis utilitatem tribueret, prout quidque recte aut secus monitum iudicabat, modo reprehendere, modo probare et collaudare. Itaque, percensitis ceteris omnibus, postquam perventum ad litteras erat, has in primis extollens *Theuth*, Mihi crede, inquit, o Rex, inventum hoc Aegyptios tibi et sapientiores reddet et memoria valentiores: memoriae enim ac sapientiae hoc quasi medicamen quoddam a me paratum puta. Ad haec contra *Thamus*, Minime eiusdem hominis est, inquit, invenire artes, et, quid quaeque commodi aut detrimenti utentibus allatura sit, existimare. Sic tu nunc inventionis tuae amore contrarium promisisti, quam quod per eam effici poterit. Nam multo se res aliter habet, ac tu dixisti: litterae istae mox oblivionem inducent animis hominum, quippe qui aliunde adscitis signis freti, non ex re ductis, vim memoriae intra se excolere et firmare dediscent. Non tu igitur memoriae medicamen protulisti, sed recordationis, id est tale, quod scientem commonefacere et instruere possit, inscienti autem non sapientiam

impertire, sed quandam sapientiae opinionem et adumbratam speciem. Quum enim multa iam homines facili negotio arripere possint sine doctrina, multa apud imperitos videbuntur sibi *scire*, quae modo *legerunt;* at doctis et suopte ingenio sapientibus molesti erunt in omni sermone, δοξόσοφοι γεγονότες ἀντὶ σοφῶν.

Habetis celebrem historiam, *Cives*, ad verbum fere a nobis expressam. In qua an aliquid insit dignum Vestra cogitatione, vel quod coniunctionem quandam habeat cum iis, quae supra prolusimus, Vosmet ipsi diligentius consideretis: nobis nunc est ad novarum lectionum indicia properandum etc.

XVI.

Quum haec Lectionibus praefandi consuetudo olim eo sit consilio inducta, ne ullus Vobiscum agendi locus a doctrina vacuus relinqueretur; age, *Cives*, mittamus aliquando vulgaria, quae in his prolusionibus antea solebamus ludere, et locum quendam communium litterarum tractemus. Quem morem etiam in posterum tenebimus, ita tamen ut a vetere instituto non omnino recedamus. Pertinent autem ad communem eruditorum ac liberalium hominum doctrinam ii scriptores maxime, quos Graecia nobis et Latium transmisit, sapientiae atque elegantiae omnis in rebus et verbis fontes uberrimos. Quorum scriptorum uti plures etiamnum prorsus neglecti iacent, in quibus haec et postera aetas exerceri debeat; ita ne eos quidem libros, quos saepius editos, annotationumque molibus obrutos habemus, ita putetis explanatos esse et perpolitos, ut novis

nihil relictum sit ingeniis. Quod quoniam in Platonis libris alias pluribus documentis demonstrare possumus; nunc quidem inde delibemus aliquid, quod facile a quovis intelligi et cognosci queat.

Est igitur locus quidam in *Apologia Socratis*, qui unus maxime Dialogus omnibus est sententiarum leporibus et festivitatibus conditus, ac vel propter personae, quae in eo toto loquitur, gravitatem nobilissimus: in illo ergo sermone cap. IX. locus est miro interpretum dissidio impeditus: Τὸ δὲ κινδυνεύει, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῷ ὄντι ὁ θεὸς σοφὸς εἶναι, καὶ ἐν τῷ χρησμῷ τούτῳ τοῦτο λέγειν, ὅτι ἡ ἀνθρωπίνη σοφία ὀλίγου τινὸς ἀξία ἐστὶ καὶ οὐδενός· καὶ φαίνεται τούτου λέγειν τὸν Σωκράτην, προςκεχρῆσθαι δὲ τῷ ἐμῷ ὀνόματι, ἐμὲ παράδειγμα ποιούμενος· ὥςπερ ἂν εἴποι, ὅτι οὗτος ὑμῶν, ὦ ἄνθρωποι, σοφώτατός ἐστιν, ὅςτις ὥςπερ Σωκράτης ἔγνωκεν, ὅτι οὐδενὸς ἄξιός ἐστι τῇ ἀληθείᾳ πρὸς σοφίαν. In his quantum obscuritatis premat verba ea, quae litteris diductioribus expressimus, Vestrum quisque videbit, modo interpretationem aggressus fuerit.

Narraverat in superioribus Socrates, (paucis enim perpetuae orationis summam constringamus,) unde sibi maxime apud cives suos invidia et crimen conflatum esset; cuius rei caussam ait fuisse examen suum illud hominum et multorum et insignium, quos adire consuevisset, sapientiam eorum tentaturus. *Me enim,* inquit, *Delphicus Deus ceteris omnibus pronunciaverat esse sapientiorem. Ego vero, re audita, dubitabam diuque haerebam, quid tandem diceret deus, aut quid spectaret, quum ipse mihi nullius sapientiae essem conscius. Itaque conveni eorum quendam, qui vulgo sapientes appellabantur, ita ratus, ibi me, si uspiam alibi, arguere posse oraculum, contraque responsum dei sic dicere; En certe hicce sapientior est quam ego; tu autem dixisti me! At vero quum penitus hominem inspectarem, sermonibus cum eo institutis, sane visus mihi est ceterarum rerum excellens, non tamen ea sui ipsius cognitione imbutus, qua omnem contineri hominis sapientiam ipse Delphis deus praecepit. Accessi proinde ad alium et item alium, post-*

ea ex ordine singulos, dolens quidem me invisum fieri: sed necessarium putabam factu, ut oraculi mentem explorarem, ne coargui mendacii posset. Ita igitur homines tentanti et obeunti plurimos, visi mihi sunt isti, qui ingenio maxime eminere dicebantur, vel minime illa a Deo praescripta sapientia esse instructi. Tenebant quidem res, quas ego nesciebam; sed quod artem suam praeclare facerent, persuaserant sibi temere quisque, etiam ceterarum rerum maximarum peritissimos se esse. Hos ego omnes quum convincerem erroris, multae mihi acerbaeque inimicitiae ex hoc examine contractae sunt; eoque est factum, ut vulgo nomen, quo vocor, sapientis nanciscerer. Namque me putant fere, qui audiunt, qua in re alios erroris convincam, in ea ipsum esse sapientem. Quamobrem prope est, Athenienses, ut revera deus sapiens sit, atque eo responso illud significet, humanam sapientiam parvi vel potius nihili faciendam esse; ac videtur etc.

Vid. argui adsunt a. 1810.

Credunt enim, qui adsunt, quoties ulla in re alium redarguo, in ea ipsum me esse sapientem: at illud vix dubium est, Iam Athenienses, quin revera sapiens sit Deus, illoque responso id significet, humanam sapientiam parvi faciendam esse ac potius nihili.

Iam sequuntur in editis omnibus verba ista, a nemine intellecta, καὶ φαίνεται τούτου λέγειν τὸν Σωκράτην. De quibus tamen quod quinque a viris doctis sunt allatae sententiae, (alias omne trinum perfectum, ut aiunt:) quum libera cuique optio detur, facile aliquis in eam opinionem adduci possit, ut eorum more, quos Socrates notat, intelligere sibi videatur, quae non intelligat. Invenit (Habuit) vero rationum illarum quaeque, qui eam prae ceteris tueretur. Ac primum Cornarius vertit, *et Socratem hunc dicere videtur*, lectionem reddens τοῦτον, quo pronomen accipiatur δεικτικῶς. Anglus quidam coniecit τοῦτο, h. e. διὰ τοῦτο, *propterea*, seu, *eo ut sententiam suam deus aperiat.* Nam sic quidem nos viri illius coniecturam interpretamur. Alius quis suspicabatur excidisse ἔμπειρον, simileve verbum quodpiam. Alius τούτου satis violenter retrahebat ad vocem οὐδενός, et insuper, nescio quo modo, supplebat ἄξιον εἶναι. Quam parum in his omnibus sani sit, intelligitis. Sed aliud attulit paullo melius istis Dorvillius, qui, vulgatae omnium librorum lectionis patronus, ad τούτου intelligendum monet ἕνεκα, hoc sensu: *propterea, ut appareat sapientiam*

Bayerische
Staatsbibliothek
München

humanam esse nullam. Atque ita locum iam a Ficino acceptum esse, Latina eius translatio docet: quem deinde fere secuti sunt, qui aliis linguis Socratem Platonis loquentem fecerunt.

Decepit autem eos, qui in hanc sententiam concesserunt, ellipseos ἕνεκα facilitas atque usus, in aliis loquendi modis satis frequentatus. At vellemus utique, *eius* generis potius et modi exemplum quaesissent, unde nudum illud τούτου appareret esse *ideo, propterea.* Tale nos exemplum in vetere et probato auctore nullum exstare contendimus, et omnibus locis Platonem sic scribere, ut Euthyph. c. XV., τούτου ἕνεκα. Verum ut ita loqui Platoni licuisset, parum tamen lucis inesset isti, quam extorserunt, sententiae. Nam presse si verteris, (nihil enim est nuperi editoris suffarcinata oratio, quae belle obumbrat vitium:) exorietur hic sensus: *Quamobrem prope est, ut revera deus sapiens sit, atque eo responso illud significet, humanam sapientiam nihili faciendam esse: ac videtur* p r o p t e r e a *nominare Socratem, et meo uti nomine, meque aliis exemplo proponere* etc. In quo

quid sibi tandem vult illud *propterea?* An, *ut humana sapientia nihili facienda sit?* an, *ut deus illud melius et clarius significet?* an, *ut id, quod dicit, verum esse appareat?* Tenemus verbum incerta et fluctuante potestate in quamcunque velis partem versatile. Reliqua persequi non vacat. Tantum admonebo, quod novam habet explicationis huius offensionem, particulam δὲ post verbum προςκεχρῆσθαι perperam accipi ut simpliciter copulantem, quae eius vis nusquam est in sermone Atticorum.

Iam ut iudicium ipsi quoque nostrum expromamus, notabili hic exemplo videte factum, quod saepe etiam alias, neque in his tantum litteris, accidere solet, ut omnes, qui de hoc loco cogitarent, fugeret id, quod maxime esset in promptu positum, et semel repertum nemini non repertu facillimum esse videatur. Nimirum dissecueris vocem eam, in qua scrupulum inesse consentiunt omnes; et continuo, ne ulla quidem littera expuncta aut mutata, Platoni integritatem et elegantiam reddes. Scribendum: καὶ φαίνεταί τοῦτ' οὐ λέγειν τὸν Σωκράτην, προςκεχρῆσθαι

δὲ h. e. ἀλλὰ προςκεχρῆσθαι —— Hinc iam totius periodi hic sensus emergit, quo ipso, qui accurate legit, tacita cogitatione ducitur: *Revera deus sapiens est, atque eo responso illud significat, humanam sapientiam parvi ac potius nihili ducendam esse: ac videtur is non de Socrate hoc dicere, quod dicit, sed usus tantum esse meo nomine, me aliis exemplo proponens; quasi dicat, Is vestrum, homines, sapientissimus est, quisquis ut Socrates agnovit se plane nihili esse, si ad veram sapientiam spectetur.* Id est, *Oraculum etsi meo nomine usum est, tamen non tam de mea persona loqui voluit, quam alios homines significare, et alieno castigare nomine* etc. Sed satis clara iam sunt omnia, recta, sana, venusta. Ceterum duplici accusativo, quem textui restituimus, neminem speramus offensum iri, qui Atticorum sermonem calleat. Ita enim illi saepissime, λέγειν τινά τι, *aliquid dicere de aliquo:* alterum contra, λέγειν τὶ περί τινος, prope insolentiae vitio laborat, in eo certe sententiae tenore, quo Plato h. l. utitur. Itaque Schol. nuper a cel. Villoisonio edi-

nihil valere exigatur

tus ad Iliad. VI, 480. recte multoque doctius Eustathio, haec notat: καί ποτε τὶς εἴποι ἐκ πολέμου ἀνιόντα· Οὐ λείπει τὸ ἰδών, ἀλλ' ἐστὶ συνήθης Ἀττικοῖς ἡ φράσις. Quamquam is locus, ni fallimur, sui generis prope unicus est apud Homerum. Tanto crebrior eiusmodi usus exstat apud Atticos. Aristoph. Acharn. 593. Ταυτὶ λέγεις σὺ τὸν στρατηγόν, πτωχὸς ὤν. Plato Men. p. 77. A. Steph. Πολλὰ ποιῶν ἐκ τοῦ ἑνός, ὅπερ φασὶ τοὺς συντρίβοντάς τι etc. Xenoph. M. S. II, 2, 9. Ὅταν ἀλλήλους τὰ ἔσχατα λέγωσιν. Pertinet huc etiam illud, κακὰ λέγειν τινά, cum similibus multis. Nam satis est exemplorum. Nos ne his quidem, ut in re certa, usi essemus, nisi loquendi genus illud a Grammaticis et Lexicographis esset aut plane praetermissum, aut, quod Dawesio in Miscell. crit. p. 149. accidit, perperam explicatum et cum dispari quodam genere confusum. ~~etc.~~

in hac editione addita vox

in hac editione addita vox

Valete, cives, et res vestras bene agite.

XVII.

Platonis nuper locum quendam tractavimus ex *Apologia Socr.* Quo in dialogo quamquam nonnulla alia sunt nondum satis recte constituta; placet tamen nunc curam transferre ad librum philosophi alium, cuius haud minor, quam illius, praestantia est praeceptorum, animum iuvenilem salubriter monentium. De *Alcibiade primo* loquimur, qui docet nemini ad publica et omnino aliorum negotia curanda prius esse properandum, quam semet ipsum ac sua nosse et curare didicerit. Haerent autem in hoc quoque libro plures corruptelae, utpote qui praeter H. Stephanum nullius adhuc critici manum subierit. Itaque nunc quidem nos de multis pauca tangemus, nec nisi ea, in quibus certum et praesens a sola coniectura remedium est. Atque ponemus quidque simpliciter, sine colore et pigmentis: Vestrum erit, qui Graeca didicistis, emendationum caussis ac momentis quaerendis ingenium experiri.

Pag. 109. C. in verbis, καὶ ὁπότε καὶ μὴ, omissum putamus alterum ὁπότε ante μὴ, culpa librarii. Id verbum Plato ex accurate loquendi lege vix potuit ipse omittere; sicut laboret sermo, si eodem in versu scribas, καὶ οἷς δεῖ καὶ μή.

P. 116. A. scribendum εἰ προςεῖπες αὐτήν, non προεῖπες cum vulgo. Res clara est, ut et illud, quod p. 120. D. repono, πότερον εἰκὸς ἀμείνους γίγνεσθαι φύσεις, pro φήσεις. Primum hoc legens, nihil aliud quam mendum putabam typographi esse; ac praeiverunt correctionem Ficinus et Cornarius.

P. 122. A. Ὅταν δείσῃ, δοῦλον ὄντα, ubi etiam Steph. haesit. Sed ipsa vocula ὅταν, quae nobis primam suspicionem movebat, relinquitur ab illo et firmatur. Nos leniori medela corrigimus, ἅτ', ἂν δείσῃ, δοῦλον ὄντα.

P. 129. C. nihili est forma τομῆ, Cornarii autem ἡμιτομῇ plane somnium. Scribendum ex Polluce X, 141. τομεῖ. Nam, τὰ σκυτοτόμου

σκεύη, inquit ille, τομεὺς ἐν Πλάτωνος Ἀλκιβιάδῃ εἰρημένος. *Scalprum sutorium* est.

P. 132. E. ubi nunc legitur, ἕν ἐστι τῶν τοιούτων, legendum censemus, ἔνεστί τι τῶν τοιούτων, aut potius, ἕν ἐστι τι τῶν τοιούτων. Vulgatum nobis suspectum facit bene loquentium consuetudo.

At leviora haec videri possunt, et pulchri corporis quasi quaedam reduviae. Restant vero etiam loci permulti, qui sententiam adhuc habeant vel prorsus contaminatam, vel salebrosa oratione impeditam. De quibus alio loco. Unum nunc addere licet, trium litterarum corruptela vitiatum p. 111. A. Δικαίως ἐπαινοῖντ' ἂν αὐτῶν εἰς διδασκαλίαν. Nam vitiata haec esse, nemo non videat. Quae ad dictionis Platonicae sanitatem redigere nobis videmur sic legendo, Δικαίως ἐπαινοίη γ' ἂν αὐτῶν τις διδασκαλίαν. In quo presse sequimur litterarum vestigia, dum veram sententiam et loquendi usum restituimus. Sed haec in praesentia satis. Valete, *Cives*, et ad recitationes hisce paginis indictas docilem animum afferte.

Mich. 1806 XVIII.

Apud Platonem in eo opere, in quo optima civitatis constitutio et perfectissimum virtutis exemplar una quasi magna tabula proponitur, praeclarus exstat locus de iuvenili institutione ad artem dialecticam, i. e. eam quae docet subtilius ratiocinari, in primisque disputare cum adversariis, et eorum de quaque quaestione argumenta probabiliter refellere. Cuius loci saepe meminimus, quum in catervas hodie incidimus adolescentulorum sapientum, ad normam nutumque alicuius familiam ducentis magistri acriter philosophantium, et ita non paucis risum, aliis graves tumultus moventium. Nam ille, quem philosophorum deum appellabat docta antiquitas, postquam iuvenibus in spem patriae succrescentibus commendavit *musicam*, *geometriam*, *astronomiam*, tamquam aptissimas ei aetati disciplinas, deinde, ut eos a rebus sensuum iudicio

subiectis longius abstrahat, in *dialecticam* inducendos censet, verum ita, ut id ne fiat ante *tricesimum annum*, atque adeo magna adhibita cautione. Hic igitur, *Nonne*, ait*), *caveri maximopere debet, ne statim ab ineunte aetate huius doctrinae gustu imbuantur cives nostri? Animadvertisse enim te arbitror, quanto studio adolescentes, ubi primum dialecticas disputationes degustarint, illud artificium vertant in ludum,*

*) De Republ. VII. p. 539. ed. Steph. Οὐκοῦν ἵνα μὴ γίγνηται ὁ ἔλεος οὗτος περὶ τοὺς τριακοντούτεις σοι, εὐλαβουμένῳ παντὶ τρόπῳ τῶν λόγων ἁπτέον; — Καὶ μάλ᾽, ἦ δ᾽ ὅς. — Ἆρ᾽ οὖν οὐ μία μὲν εὐλάβεια αὕτη συχνή, τὸ μὴ νέους ὄντας αὐτῶν γεύεσθαι? Οἶμαι γάρ σε οὐ λεληθέναι, ὅτι οἱ μειρακίσκοι, ὅταν τὸ πρῶτον λόγων γεύωνται, ὡς παιδιᾷ αὐτοῖς καταχρῶνται, ἀεὶ εἰς ἀντιλογίαν χρώμενοι, καὶ μιμούμενοι τοὺς ἐξελέγχοντας, αὐτοὶ ἄλλους ἐλέγχουσι, χαίροντες, ὥσπερ σκυλάκια, τῷ ἕλκειν τε καὶ σπαράττειν τῷ λόγῳ τοὺς πλησίον ἀεί. — Ὑπερφυῶς μὲν οὖν, ἔφη. κ. τ. λ. — — —
Καὶ ἐκ τούτων δὴ αὐτοί τε καὶ τὸ ὅλον φιλοσοφίας πέρι εἰς τοὺς ἄλλους διαβέβληνται.

eoque ad contradicendum et digladiandum utantur, gaudentes, instar catulorum, proximum quemque lacessere et vellicare; unde praeter alia mala plerumque illud quoque consequitur, ut ipsa philosophia istorum levitate apud plerosque cordatos in suspicionem atque invidiam adducatur.

Quae his verbis praecipit Plato, sic praecepta nobis et monita videntur, *Commilitones*, quasi hanc nostri temporis late patentem labem castigare voluisset. Quid enim nunc videmus frequentius, quam homines imberbes, qutum novae cuiusdam sapientiae systema imbiberunt, armis ex eo petitis ferociter congredi cum quovis aliter sentiente, pro rebus ac sententiis saepe inaudita vocabula et spinosa λεπτολογήματα vendere, atque gravissimas veritates in dubitationem devocare, idque etiam vernaculo sermone, ne quis usquam sutor sartorve sit, cui non ad mentis scilicet culturam aditus pateat. Nempe quo quisque rudior vel rerum usu vel priorum inventis accedit ad philosophandum, et animum veluti tabulam rasam affert, cuicumque libeat, imprimendam, eo et ipsos do-

ciliores reperimus, et cum populo communicandi, quicquid nuper arripuerunt, cupidiores. Itaque fit, ut crudam sapientiam ineptissimo molimine in ipsas conciones sacras importent et in scholas humanitatis, ubi ingenia meliore succo ad occupatam vitam nutriri conveniebat. Iam ponite parumper edicto cautum, si modo in civitate litterarum edicta valerent, ne cui liceret ante virile robur attingere conditam perpetuis praeceptis disciplinam, num putatis, tot tamque diversas ad hoc usque tempus familias philosophorum more fungorum provenire potuisse? Nobis contra ita videntur et rariora de maximis rebus dissidia fore: et quisque, abnormi sapientia diu probeque imbutus, sic praeparatam mentem afferret ad eam, quam *sectariam* vulgo, (fortasse per iocum,) dicunt, philosophiam cognoscendam, nullius ut auctoritati sese penitus addiceret, in novissimas quasque voculas et sententiolas iurans, sed ex acutissimis omnium aetatum et populorum disputationibus ea seligeret atque componeret, quae prae ceteris certa vel probabilia viderentur. Nunc vero ingeniorum maturitatem systematibus, uti plantarum hypocaustis, festinantes,

in exquirendis caussis rerum elaboramus, antequam ipsae res a nobis bene perceptae sunt. Quae praepostera ratio quantum discrepet ab incorrupto iudicio antiquorum, multis auctoribus Vobis ostendere possemus, si hoc opportunum esset tempus docendi. At quid vetat, tribus verbis unum et alterum sententiae Platonicae patronum adiicere, illo ipso haud minores auctoritate? Et illius quidem auditor, *Aristoteles*, etiam in morali atque omni civili scientia plane reiicit *adolescentem discipulum, actionum, quae in vita versantur, nondum gnarum, et iuvenilibus animi motibus servientem* *). Talem vult ille primo fieri *hominem*, ac discere sibi imperare, et ratione appetitiones actionesque suas regere et coercere, priusquam philosophum agere et ethicas leges cum caussis investigare conetur. Atque his simile quiddam, vel potius idem, quod Plato, iudicavit *Leibnitius* noster in Epistola quadam ad Huetium scripta **), in qua

*) Ethic. I, 3. extr.

**) Vide *Syllogen novam Epistolarum*, Norimb. Vol. I. p. 638. ss.

ut mirifice laudat institutum in Gallia tum recens scriptorum veterum edendorum, ita vehementer conqueritur de corruptione scholarum, ubi pro litteris humanitatis doceatur Logica et philosophia reliqua; qua in re dicit certum *ingruentis barbariei indicium* esse.

Sed detestandum nobis est infaustum omen, praesertim extremum in hoc saeculo cursum academicorum laborum ingressuris; nec de scholis nostris, sed de suo tempore loquitur vir maximus: neque ita inhumani sunt nostri philosophi, ut opprobria istius aevi, curis prudentissimorum hominnm expulsa, nobis reducere velle putandi sint. Quippe ipsi habent in propriis doctrinae suae annalibus, quod eos a tali conatu deterrere possit, in primis infame ignorantia publica aevum Scholasticorum, sed et ipsum ultimum saeculum eruditae Graeciae, quo per orbem litteratum ubique spissae tenebrae ingruebant, quando interpretes logicorum et metaphysicorum librorum Aristotelis studiosissime curabant, ut nullus eorum locus superesset luce subtilis interpretationis minus collustratus.

Vos autem, *Commilitones*, conservate hac in parte laudem Vestram, et sic in posterum quoque temperate rationes studiorum Vestrorum, ut ea, quae supra diximus, ad quamvis aliam potius quam ad hanc nostram Academiam pertinere videantur. Qui enim nihil aliud nisi philosophari cupit, eum scitote ne recte quidem et ingeniose philosophari posse.

XIX.

Satius fuerit fortasse, *Commilitones*, ad priscam horum prooemiorum consuetudinem reverti, novisque lectionibus praefari *more maiorum*, id est tribus verbis, quae ad auditoria sponte cursitaturis calcaria addant, ceteros, si non multum iuvent, certe non morentur, nec dulcia otia feriarum interpellent. Atque crescit adeo numerus disciplinarum et docentium, ut praeconium eorum vix tribus verbis angulum relinquat; accuratiori autem scriptioni nec tempus commodum est, nec studia legentium favent. Ne tamen plane vacuus a doctrina hic angulus sit, interioribus, quae per ipsum semestrem cursum a doctoribus et magistris tractabuntur, nunc praeludamus re levicula, neque iniucunda iis, qui Platonem legunt, et aliis hactenus utili, ut, quantum momenti sit in punctis et signis distinctionum, novo documento videant.

Ete-

Etenim constat inter doctos, criticam artem in talibus minutiis et aucupiis litterularum haerere molestius, quam ulla facit nobiliorum doctrinarum, quibus saepissime ex illa praesidia petenda sunt. Agite ergo, videamus iam, quid delendo uno puncto unoque iota, ac ne ipso quidem illo maxime exili et tenui elemento, sed eo, quod hodie prope evanuit, iota subscripto, quid igitur duobus punctis delendis effici possit in corrupto Platonis loco, *Menone cap.* 5. Ibi discipulus hic Gorgiae denuo interrogatus a Socrate, quae sit accurata definitio virtutis (ἀρετῆς), respondet: Τί ἄλλο γ᾽ ἢ ἄρχειν οἷόν τε εἶναι τῶν ἀνθρώπων? Huius definitionis vitium arguit Socrates, docens, eam iusto angustiorem omnes homines, praeter peritum rei publicae administrandae, possessione virtutis excludere. Is error facile irrepere potuit in iis civitatibus et temporibus, quibus vir civilis et politicus unus erat omnia. Itaque Socrates ut angustias definitionis demonstret, Menonem admonet de filio familias et de servo, h. e. mancipio; cui contemptissimo tum generi hominum tamen, non minus quam equis et canibus venaticis, virtus quaedam tri-

buebatur. Ἀλλ' ἆρα, καὶ παιδὸς ἀρετὴ ἡ αὐτή, ὦ Μένων; καὶ δούλου, ἄρχειν οἵῳ τε εἶναι τοῦ δεσπότου? Hisce verbis haud levius quam ipsi definitioni vitium inesse apparet. Dativus enim οἵῳ nihil habet quo referatur, quoniam a pronomine ἡ αὐτή regi seu pendere h. l. nequit; totumque membrum, καὶ δούλου — δεσπότου, novam interrogationem inepte et frigide orditur. Cui utrique molestiae medebimur, sic lenissime corrigendo et tenore orationis continuando: Ἀλλ' ἆρα καὶ παιδὸς ἀρετὴ ἡ αὐτή, ὦ Μένων, καὶ δούλου, ἄρχειν οἵω τε εἶναι τοῦ δεσπότου?

Buttm. emend. οἷόν τε ἦ, et ad utrumque δουλ. pertineat, quam παιδὸς ὁ sit δεσπότης.

Vocativus ὦ Μένων, post quem signum interrogandi tollimus, interiectus est more Graeco; nostro more alium locum sortiretur. Tantilla res primum offendit Editores. Alterum paullo gravius est, quod οἵῳ mutamus in accusativum dualem οἵω, qui ad utrumque pertinet, puerum et mancipium, ut sensus hic sit: *An tu putas istam, quam dicis, virtutem eandem esse utriusque horum, ut possint imperare?* Sed quod adiicit τοῦ δεσπότου, facit hoc, ut eo clarius ostendat, quam

absurda sit definitio; quia adiectione illa omnino tollitur conditio servi. Nam *aliis* imperare etiam servus olim poterat ac debebat interdum, vel δεσπότου nomine vel suo ipsius. Quippe nostis genus lautius servorum, quod collecto peculio emebat sibi servos, qui vicariam operam praestarent, et apud Romanos proprio vocabulo *Vicarii* dicerentur. Verum id minime tollebat servi conditionem et statum. Illud vero fiet, si servus, sciens imperandi, imperet ipsi domino, ipsis liberis. Quapropter addit Socrates, καὶ δοκεῖ σοι ἔτι ἂν δοῦλος εἶναι ὁ ἄρχων? negatque Meno: nullo pacto negaturus, si aliud, quam quod constituimus, audisset.

Sed haec hactenus. Vestra virtus, *Commilitones*, mox erit, ἄρχεσθαι ἀκροάσεων, atque eodem, quo inceperitis, ardore pergere, ne alio sensu, quam quo primum dicta est, in Vos convertatur sententia veteris poëtae, Ἀρχὴ ἥμισυ παντός.

XX.

Eiusdemmodi maculae, qualem nuper sustulimus in *Platonis Menone*, adhuc in eodem politissimo Dialogo resident plures, quarum partem operae pretium est in hac chartula indicare, earumque tollendarum certum modum praescribere. Paucis verbis opus erit ad cuiusque correctionis rationem reddendam.

Pag. 82. C. Steph. Εἰ ἐν ταύτῃ δυοῖν ποδοῖν, ταύτῃ δὲ ἑνὸς μόνον, ἄλλοτι ἅπαξ ἦν ἂν δυοῖν ποδοῖν τὸ χωρίον? Hic corrigendum est εἰ ἦν, quo simul hypotheticae constructionis lex et usus sermonis restituetur. Nihili est ἐν ταύτῃ.

Mox gravius mendum irrepsit p. 84. E. Οὐκοῦν ἐστὶν αὕτη γραμμὴ ἐκ γωνίας εἰς γωνίαν τινὰ τέμνουσα δίχα ἕκαστον τούτων τῶν χωρίων. Offendit in his statim pronomen male abundans, neque id magis in Graecis ferendum est, quam

in Ficini tralatione, *ab angulo in angulum aliquem.* Tum verbum deest complendae sententiae. Id vero in vicinia erat. Scribendum, γραμμή, ἣ ἐκ γωνίας εἰς γωνίαν τείνει, τέμνουσα. Illud proprium vocabulum est geometricae disciplinae.

P. 85. C. Εἰ δέ αὐτόν τις ἀνερήσεται πολλάκις τὰ αὐτὰ ταῦτα, καὶ πολλαχοῦ. — Nobis scribendum videtur πολλαχῇ. De variis enim quaerendi *modis* agitur, non de *locis.* — Proxima pag. A. perpusillum haeret vitium, et hoc quidem iam ab aliis animadversum, sed a nemine recte sublatum: Ἐνέσονται ἀνθρώπῳ ἀληθεῖς δόξαι, αἳ ἐρωτήσεις ἐπεγερθεῖσαι ἐπιστῆμαι γίγνονται. Quod ibi Sydenhamus in nota ad anglicam interpretationem excogitavit, αἳ ἂν ἐρωτήσεις, longe ineptissimum est et vix Graecum. Ac multo tolerabilius erat, quod olim Cornarius coniecerat, ἐρωτήσεσιν. At ne hoc quidem verum est. Nam ἐρώτησις est *actio interrogandi;* ipsa vero *proposita quaestio* seu *interrogatum* est ἐρώτημα s. ἐρωτώμενον. Ita scriptores optimi, ita Plato ubique loquitur. Ponendum ergo una abiecta

littera, ἐρωτήσει i. e. *actione interrogandi*, seu *sciscitando*, ut vertit Ficinus.

P. 92. C. Τούτους γοῦν οἶδα οἵ εἰσιν. Non exspectatur h. l., *qui* sint, sed *quales* sint. Id autem discrimen Graecus sermo diligentius servat quam Latinus. Ideo scribendum est, οἷοι εἰσίν. — P. 94. C. palaestrici aliunde ignoti nomen legitur, Εὐόδωρος. Verum omni analogiae repugnat haec scriptura, satisque nota sunt nomina Εὔδωρος, Εὐδώρη. — P. 95. B. Καὶ ὁμολογεῖν διδάσκαλοί τε εἶναι, ἢ διδακτὸν ἀρετήν. Et vis sententiae et praegressa particula nos iubent corrigere, καὶ διδακτὸν ἀρ. κ. τ. λ. Ac multo frequentior est in veterum libris illarum particularum confusio, quam adhuc monitum est a viris doctis. etc.

XXI.

Ingenium, sibi quod vacuas desumpsit Athenas,
Et studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris et curis, STATVA TACITVRNIVS EXIT
PLERVMQVE, ET RISV POPVLVM QVATIT *) —

Versus apposuimus, *Cives*, qui mentem nobis saepe solent tangere, quum voces audimus legimusque eorum, qui acerbe et graviter accusant litteratorum mores, quod rigidiores sint,

*) Horat. Epp. II, 2, 81. sqq. In numero *septem annorum* ne usitatum aliquid quaerant ii, quibus vel triennium, quod hodie fere transigunt in Academiis, nimis longum tempus videtur: monendum erit, certum numerum ab Horatio, ut poëta, pro infinito adhiberi. Ceterum homines elegantes, quibus Latina nostra legere non placuerit, conferant ad istum locum Germanice dicta a Cel. *Wielando*, in Vers. teuton. Epist. Horatii P. II. p. 159.

nostrorum hominum naribus minus apti, in multisque rebus ab urbanis munditiis abhorreant. Est enim haec, ut scitis, decantata querela, nostris praesertim temporibus; adeo ut iam inter aequales Vestros occurrant passim, qui nullius pravae rei graviore videantur metu imbuti, quam *paedantismi*. Sic enim barbare vocant vitium, quod doctis obiiciunt, maxime his, qui severiorum artium studiis occupantur. Obiiciunt autem maxime delicatuli homines, qui, quae eruditionis sit vera vis et ratio, omnino nesciunt, atque, quoniam ipsi nihil *bene* facere didicerunt, a nobis *belle* fieri volunt omnia. Hi fere sunt, qui, quum et ipsi gestiant in doctis censeri, iam dudum indigne tulerunt, quod viderent hos, qui vere hoc nominis sibi vindicarent, quum aliis rebus multis, tum morum etiam colore quodam mirifice a se discrepare. Quid agerent igitur boni? Nempe callide edixerunt, ea omnia, quae sibi non probantur, ad doctas ineptias releganda, et eruditissimum quemque, si minus festivitatis et dicacitatis habeat, pro duro et pingui homine irridendum. Ita videas tales vel frontem corrugare, vel ridere, si tu forte elegantes

scilicet circulos eorum ingressus, ad confabulationes de lana saepe caprina tacitus adstes, aut sermones tuos ad elegantiae, quam ubique crepant, leges ac numeros componere nescias. Quin extra circulos etiam, si de arte aliqua maiori cum studio disputes, si subtilius et accuratius, quam necesse putant vulgo, si de rebus denique ex interiore doctrina depromptis: studiis te putide immersum, ipsa studia, nisi sapienter intra necessitatis angustias coërceas, victus parandi futilia clamabunt usuque publico destituta; uno verbo, *paedantam* te vocitabunt. Animi vitio quovis laboraveris excusatius, quam isthoc, quod apud multos instar est flagitiorum omnium. Nimirum cetera vitia tegi possunt Scilicet urbanae frontis beneficio, hoc oculis facile se ingerit indoctissimi cuiusque. prodit

Sed, ut ad Auctoris nostri locum revertamur, universam hanc in doctos calumniam dicemus nostrorum demum litteratorum culpa conflatam, an aliis iam in saeculis viguisse? Dubitatio ipsa licet multis videatur satis paedantica, non aliena tamen est ab hoc loco. Ea vero si ad Graecos ac Romanos spectet,

politissimos populos; apud hos ut quaeras omnia, quomodo *paedantam* appellaverint, non reperies. Quod fortasse proximum est, Latini habuerunt *ineptos*, neque tamen hi in coetibus doctorum, sed inter homines cuiusque loci et ordinis quaerendi sunt. Nam ineptum dicebant universe eum, qui in quocumque genere vel nimius est vel inconcinnus, aut qui, quid tempori, personae, loco atque rei satis conveniat, non videt, nec observat *). Cuius verbi Latini vim an praecise assequi possit nostra lingua, non temere dixerimus. Qua in re non immerito quis miretur, ne proprium quidem nomen apud nos impositum esse tam vero vitio, et cuius vim omnes sentimus; quum vocabulum contra celebretur tam incertae et vagae potestatis, quam alii fere aliter in sermone definiant. Sed habent linguae novitiae plura huiusmodi verba, quae quo magis ad certas species rerum exigere et finire velis, eo vaniora deprehendes et magis fluctuantia. At fortasse nomine, quod quaerimus, caruerunt antiqui;

*) *Cic.* de Orat. II, 4. loco noto. Cf. *Senec.* de Benef. I, 12. Tales homines *sensu communi carere* vulgo Latine dicebantur.

rem et crimen non ignorabant. Ita omnino rem fuisse, multa faciunt fidem. Neque illud cuiquam mirum videatur. Nam quisquis arti, quaecumque tandem ea sit et quantulacumque, ita se dederit, ut ad maiorem eius facultatem provehi laboret, eum omnino necesse est ab secessu, ab intentione cogitandi et a constantia studii contrahere colorem quendam et habitum morum, qui mire est diversus ab eo, quem assidua convivia fingunt et femineae cathedrae; neque tali facile comptula ista et venustula species esse potest, qua isti toti de capsula nitent et commendantur. Male enim hodie accusant *sapientiam*, quam boni viri vocant, *scholae*, h. e. omnem accuratiorem et severiorem disciplinam, quod rigidos et paedantas efficiat sui studiosos; quum ars quaevis alia, si quis eam libenter et gnaviter tractet, illud idem et habeat et soleat dare, quod tantopere displicet bellulis. Id autem olim, sicut nunc, displicuisse, multisque adeo ludibrio fuisse, mirandumne putatis? Immo nullo tempore non *risu populum quatiit* subtilitas doctrinae et acrius studium earum rerum omnium, quae nihil ad panem et Circenses ac reliqua, quae ex secreto

litterario ducunt docti, ipse pallor vultus et frontis senium. De Atheniensi quidem populo id satis docent fabulae Aristophanis. De Roma autem saepe testatur Poeta ille, cuius verba commentamur, neque pravi huius iudicii plebeculam tantum arguit, sed ipsum etiam Maecenatem suum *).

At ne quis Vestrum erret his, quae scripsimus, non animus erat morum rusticitatem et feritatem commendare, aut verum vitium sophistico more laudare. Nam hunc fructum, qui e liberalibus studiis capi potest, haud postremum ponimus, quod comes nos, modestos, commodos, officiosos, iucundos etiam, uno verbo humanos fingunt, cultus horridos et mores illiberales ex animis expellunt, nosque ad elegantiam informant vitae morumque, at non fucatam istam et incrustatam, sed simplicem et veram, qua una bonis et prudentibus commendamur. Nam quaecumque nunc discitis, *Cives*, non scholae discitis, aut vanae alicui opinioni eruditionis, sed vitae atque socie-

*) Sermon. I, 3, 30. sqq. Epp. I, 1, 95. alibi.

tati, cui vivimus. In quo tamen semper mementote antiquum illud τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, persuasumque habetote, neminem umquam vitae utiliter didicisse videri posse, nisi primum scholae probe didicerit. Et ad hoc quidem Vobis nunc quoque omnis generis lectiones aperientur etc.

XXII.

Accipite, *Commilitones*, indictas a nobis in proximam aestatem novas lectiones, dubia fercula, in quibus profecto tantum inest rerum, quantum vel procacissimis votis Vestris satisfacere debere videatur. Quas res quum percensemus apud animum, copiasque perpendimus, quae singulis studiorum Vestrorum classibus offeruntur; subit mentem cogitatio quaedam, quae temperantium solet esse, quum ad mensam consederunt, multis et opiparis epulis exstructam, ubi *simul assis miscenda elixa, simul conchylia turdis, tumultum minantur stomacho:* atque occurrit adeo illud, quod SENECA, philosophus, amicum monet, vaga omnis generis scriptorum lectione occupatum. *Fastidientis stomachi est*, inquit, *multa degustare, quae ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt.* (Epist. 2.) Sane si cogitetis, quantum ad corpus nutriendum

atque alendum sufficiat, adeo id exiguum est quiddam, ut ex quatuor et viginti horis propemodum una satis sit ei negotio. Nec quisquam dubitet, quin tenui ac simplici cibo etiam haud paullo melius augeantur vires, quam operoso, copioseque aut nimis saepe sumpto. Etenim mala semper copia onustum corpus sua fere vis deficit, succus perit sanus et integer, corrumpitur humor, adiuvandae ciborum confectioni paratus, languorque paullatim subsequitur et lenta tabes. Animi alimenta autem sunt in primis auditio et librorum lectio. At enim infinito maiorem copiam utriusque generis animus noster et valet ferre, et postulat. Habet vero haec quoque res modum suum. Itaque male faciunt, si qui, quod saepenumero fieri vidimus, uno semestri cursu nimis multa aut inter se diversa complecti gestiunt, et octo novem praelectionibus simul operam addicunt. Ita enim fit, ut assiduitate auditionis totque dictatorum scriptione distractis simul vigor animi et tempus pereat, quod sibi singula deposcunt, ut in succum, quod dicunt, et sanguinem convertantur. Nam etiam animi sua quaedam quasi concoctio est ac digestio, quam

nimia vis pabuli impedit, et tantum non omnino aufert. Qua ex re etsi non videmus oriri tetras vomitiones, uti in corporibus, alia certe consequi tam praeposterum et desultorium discendi genus solent haud minus infesta atque pestifera. Quocirca novis pábulis doctrinarum, ad quae haec Vos tabula invitat, sapienti temperantia utimini, *Cives*, et ita, ut summam rei et utilitatis Vestrae in ruminatione et meditatione lectionum verti memineritis; seduloque memores estote dicti huius, ab eodem philosopho, quem ante nominavimus, proditi: *plus prodesse, si pauca praecepta teneatis, sed illa in promptu Vobis et in usu sint; quam si multa quidem didiceritis, sed illa non habeatis ad manum.* (De Benef. VII, 1.).

XXIII.

Haud postremum locum in libris *Ciceronis* iis, quos de philosophia popularem in modum scripsit, is tenet, qui est *de Divinatione*. De qua re quoniam quae disputata antea essent a Graecis philosophis, ea fere omnia nobis subtracta sunt; tanto maior conservati Latini libelli commendatio debet esse: quam ipsa etiam argumenti gravitas auget et praestantia, simul eo valens, ut ab anilis superstitionis opprobrio prudentes veterum temporum homines vindicentur. Illud quoque adderemus, vel nostram hanc aetatem, in fanaticos errores plus nimio pronam, utilibus consiliis ex eo instrui posse; nisi pudendum videretur homini Christiano, de divina natura ac vi dedoceri ab ethnico.

De huius igitur libri locis quibusdam ex prioris voluminis parte nunc commenteinur,

eodem instituto, quo aliis temporibus fecimus de Platonis: ne ii, qui sola Latina legunt, hoc in loco se a nobis neglectos querantur. Ernestianam autem secuturi recensionem, notabimus nonnulla, quae praestantissimus ille vir vel sana et recta mutasse, vel vitiosa ac depravata praetermisisse nobis videbatur.

Cap. 9. §. 15. *Videmus haec signa numquam fere ementientia: nec tamen, cur ita fiat, videmus.* In his Ernestius, eiecto voc. *ita*, legendum coniicit, *cur fiat, videmus.* Quod adeo non concedimus viro, ut, si id verbum vulgo defuisset, aliquid ad perfectam orationis formam requireremus. Nam quum Latini dicunt, *ita fit*, subaudiri solet *res;* non item, quum nude dicunt *fit.* Hoc autem loco posterior modus eo est minus aptus, quod plurale nomen antecedit. Quodsi in codice aliquo legitur, *curva videmus*, vitium est persimile eius, quo depravatur Tuscul. Disp. 1, 39. ubi scrib. *pro rata parte, ita longa aut brevia dicuntur;* deletis istis, *a vita*, quae *ita* male repetitum peperit.

Cap. 17. §. 53. *Haruspicum disciplinae magna accessit auctoritas, qui recentibus comitiis in Senatum introducti, negaverunt iustum comitiorum rogatorem fuisse.* Hic idem ille praeteritum verbi perfecti praefert, *negaverant.* Sed haec ad Gracchum prius nunciantem relatio si placuisset scriptori, eam profecto parum perspicue hoc uno huius temporis usu significasse putandus esset. Neque vero hac relatione hoc in loco erat opus. At simpliciter narranti melius convenit aoristus, *negaverunt.*

Cap. 20. §. ~~40.~~ 39 *Dionysii matri interpretes portentorum responderunt, (ut ait Philistus) eum, quem illa peperisset, clarissimum Graeciae diuturna cum fortuna fore.* Haec quoque omnia recta putamus esse. Etsi enim his extremis continetur responsum, a vatibus *ipsi mulieri* datum, id responsum tamen quum a Cicerone suis verbis referatur, ratio mutatur loquendi; nec ut pro *illa* scribatur *ipsa,* ulla caussa apparet. Cuius generis exemplorum superat copia apud eos scriptores, qui saepius obliquo tenore narrationis utuntur.

Paullo mox *fabulas* intelligimus narrationes, de prisca populorum aetate proditas, non dramata.

Cap. 9. §. 15. *Quis est, qui ranunculos hoc videre suspicari possit? Sed inest in rivis et ranunculis natura quaedam significans* etc. Huius lectionis quae una parata est defensio, ut, quia ranunculi in *rivis* plurimum degant, propterea vis divinandi etiam *loco*, non modo *bestiolis* tribui dicatur; ea defensio nemini docto, et qui pedestris orationis, praesertim Ciceronianae, naturam norit, placere ullo modo poterit. Iure ergo illud, *in rivis*, ferendum negarunt eruditi. In codd. plerisque legitur, *inest mire et ranunculis*; in aliis, *inest in renis*; in uno vulgatum, *inest in rivis*. Ex quibus omnibus exsculpserunt alii, *inest in re vis*; alii, *inest vere*; Ernestius, *inest nimirum*: melius hoc sane et Ciceronis mori aptius, si modo hac in ratione *et* servari posset. Verum exquisitius quiddam in ista varietate librorum latere apparet; mirandumque est, Ernestium incertam coniecturam suam proponere, quam dudum paratis opibus uti,

maluisse. Nobis ne dubitandum quidem videtur, quin vera Ciceronis manus haec sit, *inest in gyrinis et ranunculis.* Nimirum ad hoc vocabulum, librariis minus tritum, quo *partus ranae adhuc imperfectus* significatur, Cicero deductus videri debet ab Arato Diosem. v. 215, quippe cuius poetae versus, isto ipso priores, hucusque Latine expresserat. Is enim,

Αὐτόθεν, inquit, ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων.

Neque haec lectio tautologiae vitium habet. Nam ranulae non magis a ranis differunt, quam a ranulis gyrini, quos Plinius quoque appellat H. N. IX, 51. Iam simul particula, quae sequitur, servari propria significatione sua potest, quam non temere migrans, Cicero rarissime *et* pro *etiam* ponit: quod, quamvis iam a Valla notatum, Ciceroniani, qui nunc esse videri volunt nondum videntur scire.

Unum addamus locum, duobus corruptum vitiis, atque ita corruptum, ut tam Latini sermonis lex, quam narrationis veritas et elegantia

laboret. Narrat cap. 28. §. 59. Q. Cicero somnium fratris, quod et ex hoc ipso, et ex servo quodam, Marci tum comite, comperisse se ait. *Audivi equidem*, inquit, *ex te ipso, sed mihi saepius noster Sallustius narravit; quum in illa fuga — in villa quadam campi Atinatis maneres, magnamque partem noctis vigilasses, ad lucem denique arcte et graviter dormitare coepisse. Itaque quamquam iter instaret, te tamen silentium fieri iussisse, neque esse passum te excitari. Quum autem experrectus esses* etc. Horum verborum priori parti detractum esse patet pronomen ante voces, *dormitare coepisse.* Tali enim in iunctura omissum pronomen in poeta fortasse ferri potest; in prosario scriptore, insolentiora quaeque ellipseos genera vitante, non potest. Gravius autem illud, quod sequitur: *Itaque, quamquam iter instaret, te tamen silentium fieri iussisse, neque esse passum te excitari.* Num ergo aliquid iussisse putemus Ciceronem eo tempore, quo tempore devinctus arto gravique somno iaceret? — An forte, strepitu nescio quo excitatus, illud iussit? ut nimia victi lassitudine solemus

interdum maximarum rerum, quae animum occupabant, oblivisci. Verum si ita res fuisset, male optimus auctor et praeter consuetudinem suam narrasset ambigue, si de ea re ne verbo quidem monuisset. An tandem silentium imperavit prius, quam ad dormiendum sese composuisset? — At iter instabat, in quod ille prima luce se daturus erat, et cuius ipsius caussa sine dubio noctem vigilaverat. Denique ista videte nobis, *te passum non esse te excitari!* Quis ita loquatur, bonum loquendi usum tenens, *passum non esse*, de domino, qui *imperare, iubere, vetare* possit? Nempe id, quod nunc invitis et sermonis et narrationis et verisimilitudinis legibus tribuitur domino, servo est tribuendum; ut is, illo dormiente, iis, qui adessent, silentium imposuisse narretur, neque passus esse dominum excitari. Scribendum igitur: *Ad lucem denique ar TE TE et graviter dormitare coepisse. Itaque, quamquam iter instaret, SE tamen silentium fieri iussisse, neque passum esse te excitari.* Sic demum mollescit etiam transitus, quem vox *itaque* facit, durum sane atque asperum in vulgata lectione, quocumque eam trahere lubeat.

Sed haec hactenus. Alia aliis temporibus; nisi copiam, ut speramus, abstulerit nobis eius ingenium et doctrina, a quo libellus hic nuper accurate in Germanicum conversus, mox critico studio illustrabitur etc.

XXIV. Sem. lib. 92/93

Ad *Ciceronem*, utpote scriptorem omnium Vestrum, *Cives*, studiis communem, nunc quoque critica nostra redit velitatio, clari magni Emendatoris dubitationes nonnullas in I. Or. Catil., quarum orationum nuper bonum et satis antiquum codicem contulimus, sublatura.

In ipso statim initio sine caussa displicet Ernestio sonus verborum, *habendi Senatus locus*. Acre quidem et subtile iudicium aurium magnopere laudamus in illo: at istud superbum est et fastidiosum. Scilicet hanc asperitatem nec Graeci nec Latini umquam vitarunt; ut, qui modo digitis legere velit, multa exempla eius rei congerere queat. Nobis unum forte sub manibus est simillimum, Velleii II, 48. Denique quod reponit ille, *habendi Senatum locus*, eam formam Ciceroni minus usitatam esse constat.

C. 2. *Num unum diem postea L. Saturninum Tribunum pl. et C. Servilium Praetorem mors ac reipubl. poena remorata est?* Hic etiam nos offendit aliquid, sed aliud, quam quod illum. Nam quin recte dicatur *poena morari aliquem* seu *remorari unum diem vel plures*, minime dubitamus, adeo ut ne quaerenda quidem eiusdem formae exempla, si qua autem casu se offerunt, ut in toto hoc genere, minoris quam communem analogiam aestimanda putemus. Sicut enim *navigatio nos morari* dicitur usitate, quum venti faciunt ut *navigatio nostra impediatur*; sicut porro *et homines et res* dicuntur *aliquem differre*, in quo verbo mira est cognatio significationis; ut v. c. bene Latine queraris, instrumentorum inopiam te in aliquo opere plures dies sive *moratam esse* sive *distulisse*: quidni eadem ratione dicatur *mors aliquem morari*, si accidit ut supplicium indictum cuipiam diutius exspectandum sit? uti Socratem propter festum Apollinis mors ac poena triginta dies remorata est. [Seneca Ep. 70. „Socrates 30 dies in *exspectatione mortis* exegit."] In illis autem iunctis, *mors ac poena*, pro *poena*

capitali, nemo doctus haeserit. Verum vehementer offendit genit. *reipubl.* Quem in hac iunctura usquam addi negamus, dum ab aliquo locus nobis contrarius ostendatur. Atque in his duabus vocibus vel potius siglis vitium latere putamus. Nihil in codd. saepius confundi constat quam notas R. P. et P. R. Conf. ad Or. nostrae c. 6. Scribendum ergo, *L. Saturninum Trib. pl. et C. Servilium Praetorem* P. R. h. e. *Populi Rom.* quae adiectio frequens est in nomine Praetoris. Ernestii coniecturam Latinam esse vix praestem *).

abs[unt] ab edit. pr.

Eod. cap. pulchre Ern. vidit necessitatem verbi *gladium*, omissi etiam in cod. nostro: id unum peccat, quod dicit elegantius adeo scribi potuisse, *in tabulis tamquam in vagina reconditum*. Talis confusio similitudinum non est Ciceroniani saporis; est Lyricorum, et qui istos imitantur, poëtarum. *Gladium* h. l. Asconius quoque affert in Orat. Pison. Ceterum

*) Correctionem meam video praecepisse Muretum in familiari explanatione Orationis, Opp. Ruhnk. edit. T. II. p. 541. De reliqua loci difficultate ille tacet.

quo inoffensior haec comparatio esset, dixit paullo ante, *hebescere aciem Senatus auctoritatis.* Nempe in hoc genere praemunitionis elegans artificium latet optimorum scriptorum.

C. 3. propter prosopopoeiam *coniurationis* praefert *vocem*, numero singulari. Quasi non uni homini Latine tribueremus *voces*. Itaque ut *Coniurationem* persona indutam agnoscas, quum ea tamen plures homines complectatur, vel sic optime conveniant *voces*. *Vocem*, ni fallimur, prosae orationis modestiam supergreditur. Illud vero et cod. noster habet, et haud dubie legit veteris Declam. auctor (*Porcium Latronem* vocant) c. 15. de domo Leccae: Quae VOCES CONIURATIONIS *tutissime continere posset.*

Eod. cap. male suspecta facit verba, *id quod m. m. est admirandum*, et peius etiam damnum resarcit. Nec plus tribuendum ceteris obelis eius, in hac Oratione fixis, ut c. 12. §. 30. et ipso nostro loco mox perperam expunxit *meis* ante *praesidiis*. Res aperta est, ut opinamur.

C. 6. *Potestne tibi huius vitae haec lux, aut huius caeli spiritus esse iucundus etc.* Recte in his Graevius delevit additamentum alienum, *huius vitae.* Quo semel in ordinem recepto, sane nihil mirum est, si qui librarii proximum pronomen omiserunt. Id vero, in optimis codd. inventum, fraudem satis prodit. At respondent sibi *huius vitae, huius caeli.* Videlicet si ita voluit Cicero, quod ipsum nunc dubitamus. Nam ista Latinitas, *huius vitae lux,* fraterculis monachis dignior videtur quam Cicerone; neminique credimus, sic veteres umquam locutos esse. Altero autem modo locutos, et eodem quidem sensu, quo Graeci poetae frequentant φάος ἡλίου, innumera exempla vincunt. Unum ex optimis est in Tribunitia concione Liv. IV, 3. LUCIS *vobis* HUIUS *partem, si liceat, adimant: quod spiratis, quod vocem mittitis, quod formas hominum habetis, indignantur.* Iam dum lepida perit concinnitas, oritur ex periodi crescentibus membris alia venustas, si ubique veneres rimari placet. Tenebimus ergo codicis nostri lectionem, *potestne tibi haec lux* etc.

Eod. cap. non debuit sine nota praetermitti illud, *quod mihi latere valeat in tempore.* Quod et soloecum est tribus de caussis, et a bonis libris abest, etiam a nostro. Quare iis assentimur, qui haec omnia delent, *nihil moliris quod — tempore.* Assutus est pannus haud dubie ex c. 3. §. 8.

C. 8. idem codex praebet scripturam unice veram, *dubitas si emori aequo animo non potes;* i. e. Graevio interprete, *si non potes a te impetrare, ut mortem tibi ipse consciscas.* Vulgatam, *si hic morari aequo a. non potes,* defendit Ernestius, irrito conatu. *Animo aequo* quidem opus est non solum ad moriendum, sed etiam ad vivendum, ad vitae molestias fortiter perferendas; et pessime vivit, quem aequus animus deficit. Sed hoc plane abhorret ab huius loci totiusque Orationis mente; quin ipsum verbum *morandi* ineptum et debile esset isti sententiae exprimendae, quam nonnulli hic reperire sibi videntur.

C. 13. verissime antea legebatur cum codice nostro, *vivis reliquis.* Antiqua sordes,

civibus reliquis, succrevit e vitio, *civis* pro *vivis*. *Etiamsi* (inquit) *Catilina supplicium subierit, ingravescet tamen periculum, si socii eius in civitate remanebunt*, ζώντων τῶν λοιπῶν. Hanc sententiam poscit Oratoris consilium, et omnis tenor loci. Quod quae intemperiae Interpretem egerint ut non videret, ut scripturam nobis reduceret omni expertem sensu, mirandum esset, nisi humanum esset errare. Erravisse eundem videmus in eadem sententia c. 15. §. 12. *Residebit in rep.* RELIQUA *coniuratorum manus*. Paullo hoc ornatius est; illud vulgare, *remanebunt* RELIQUI *coniurati*. Cur ergo *reliqua* nimis frigere dicat, haud videmus: immo *aliqua*, quod coniicit, vehementer frigeret.

Sed abrumpenda est prolusio, quamquam in diri ominis voce, quum lectiones per hiemem habendas Vobis indicimus. At Vos, *Commilitones*, pro alacritate et ardore Vestro cavebitis, ne in eo vis inesse, et bonarum litterarum apud nos studia hieme magis quam aestate frigere videantur.

XXV.

Sumamus quae nunc ipsum nobis in manibus sunt, ut novam editionem utilissimi libri paremus, ultima Tusculanarum Ciceronis. In quibus, tamquam extremo actu, quomodo novissimi Editores sese gesserint, videant, quibus volupe est, apud ipsos: nos sine cuiusquam offensa viam nostram tenebimus. Sed in tribus vel quatuor exemplis consistere nos cogit spatii brevitas. L. V. c. 15. §. 45. verissima est lectio, *efficiendum est beatum;* illa codicis Guelf. quae nuper allata est, nec satis apta sententiae, et per se parum Latina est propter verbum *effici.* Romanum lectorem non potuit offendere *beatum* pro *beatitate* seu *beatitudine,* neque Cicero nunc aliter scribere potuit, quum illa vocabula in libro demum post Tusculanas scripto primus effinxerit, (de N. D. I, 34, 95.) nondum usu emollita aevo Quinctiliani, quem vide VIII, 3, 32. Sequitur ita etiam, *Quid po-*

poterit beatum intelligi? et §. 62. *nihil esse ei beatum.* Alibi plane eodem sensu est apud Ciceronem *vita beata:* in quod ipsum non tam saepe incidisset, si unum ex duobus illis usitatum fuisset.

C. 19. §. 54. male interpolatur oratio ἀνακόλουθος verbis inepto loco intrusis, *cum L. Cinnae quatuor.* Nam interiecta sententia, *si — repulsam fert,* nullo intervallo sequi debuit illud, *cum repulsa,* quod ipse sensus elegantiae facillime docet. Neque vero Latine dicitur aliquid *simile cum* aliqua re, quamvis ita construatur *similitudo.* Sic *cognatio cum aliquo* dicitur, non item *cognatus.* Cicero autem primum ita loqui volebat: *Similemne putas C. Laelii unum consulatum fuisse et Cinnae quatuor?* unde simul apparet, nihili esse, quod olim vulgabatur, *similene.* Sed quum illo modo loqui voluisset, longius membrum interiectum eum de via deduxit; et ut illud *Cinnae quatuor* reddat, quasi de integro orsus pergit: *Sed tamen, utrum malles* etc. Similis ἀνακολουθία est iterum in §. ~~81.~~ 63. ubi verba, *musicorum perstudiosum, poetam*

tragicum, nihil habent unde pendeant. Nam *accepimus* adscitum est e glossemate, qualia in vetustis editt. innumera sunt temere illata. Scilicet φιλαυτία poetarum scribentem ab instituto cursu abstraxit, ut plane oblivisceretur sui. Vitium hoc est in scribendo, fatemur; sed frequens illud apud scriptores quotidianum sermonem imitantes: et primum quaerendum est ubique, quid scripserint veteres; deinde, quo modo scripserint.

Paullo post c. 35. §. 101. sine caussa in suspicionem adducuntur verba, *non in regis*, quae prope necessaria sunt. Sepulcra non exstruuntur bobus. Nec minus vana est eiusdem viri coniectura §. 102. *qui privatim habent*. Rectum est *privati*. Quod quisque habet, habet *privatim*. Inepte id additum esset.

C. 38. §. 112. ubi caecitatis, quod vulgo putatur, malum variis ratiunculis extenuatur, affertur etiam Antipatri Cyrenaei dictum, cuius caecitatem quum in conventu mulieres lamentarentur, *Quid agitis*, inquit: *an vobis nulla videtur voluptas esse nocturna?* Hoc in

loco dudum videramus scribendum, *quid aitis?* nunc idem ex codice Vindob. enotatum reperimus. Vulgatum usus loquendi repudiat; quod numquam usurpatur, quum quid absurdum aut certe mirabile ab alio dictum reprehendimus: ibi locum habet, *Quid ais?* At forma *aitis* non agnoscitur a Grammaticis. Nempe non vulgaribus istis, qui hodie circumferuntur, quorum non magna apud nos auctoritas est. Talia accredimus Charisiis, Priscianis, et aequalibus, apud quos nihil legitur eiusmodi. — Deinde §. 114. legendum, *in infinitatem omnem peregrinabatur.* Iubet id Latinitas; quae etiam §. 118. tuetur veram correctionem *obtinet* pro malo illo *obtinetur.* Est istud Graecum ἐπέχει seu κατέχει, intransitive poni solitum in hac loquendi forma.

Suppetunt plura ex alio genere in his ipsis paginis postremis; sed delegimus grammatica, ut maiori Vestrum parti accommodatiora; et quae nisi prius diligenter curaveris, corruunt cetera omnia, quae quis in hac parte studiorum anquirat.

XXVI.

Quam male imponat nobis in vero scriptorum sensu quaerendo sensus quidam pulchritndinis et elegantiae, notum esse debet plerisque Vestrum, *Commilitones*, praesertim qui in Bibliorum interpretatione versamini. Neque vero aliter se res habet in optimo quoque scriptorum classicorum, etsi ii non solum rerum, sed etiam ornatus ac venerum orationis omnium studiosissimi fuerunt. Ludit autem interpretem iste sensus partim obscuritate sua, partim eo, quod blanditur nostrarum doctrinarum legibus, moribus nostris atque huic, qui hodie obtinet, cogitandi modo, non ex puris fontibus antiquitatis derivato. Cuius rei ut exemplum habeatis clarissimum, et ex noto scriptore sumptum, agite, paucis percurramus Horatii Carm. I, 21., et in eo veterem simplicitatem, ab omnibus olim doctis agnitam, revocemus, nuper invectam elegantiam eiiciamus.

Fuerunt enim hoc saeculo plures, qui Odam hanc in amoebaeis numerantes, a choris Puerorum et Virginum alternis cantatam vel ad eum modum certe compositam putarent. Quae ratio arte novissimi editoris nunc adeo invaluit, ut verendum sit, ne pluribus in posterum fraudem faciat viri illius qualiscumque auctoritas. Sed in quo statim haereas, probata tali ratione, illud est in primis, quod, quid puellae, quid pueri cantaturi sint, nonnisi ex notulis appictis intelligi potest. At notulas scriptis suis non appingebant veteres: est id unum ex nostrorum temporum inventis: illi contra, quo quidque modo intelligendum esset, quid subaudiendum seu ad lectionem aliunde afferendum, vel ex cognitarum rerum orbe promptum, vel orationis habitu indicatum patere volebant. Iam nihil hic est eiusmodi, quod legentem ducere eo possit, quo isti volunt; ipsi vero trahunt nos, non ducunt. Nam unde tandem nisi ex ipsis Intpp. comperias, v. 3. et 4. ab utroque choro, aut v. 13. tria verba a pueris, quinque a puellis, reliqua rursus ab utrisque proferri? Immo hoc non est interpretari, sed mutilare sententias et

contaminare, ut musicus modos aptare concinnius queat. Accedit, quod ridicula nimiumque mollicula esset ea comitas et verecundia, qua ita inter se chori certarent, ut *bellum lacrimosum* pueri a dea virgine, *famem pestemque* puellae a deo mare depulsam cuperent. Ac Bentleii quidem coniectura v. 13., quae huic descriptioni partium colorem adscivit, quamquam invito haud dubie auctore, vix ac ne vix quidem sese tueri ipsa, multo minus descriptioni illi patrocinari potest. Praeterea hoc quoque frigidum est et perquam insulsum, coetus duos, qui surrexerint ad canendum, nihil afferre in toto Carmine, nihil agere, nisi ut se invicem cohortentur ad canendum, tum extremis versibus, quasi suo munere defunctos, preces nescio quo tempore adhibendas numina facilia habituras polliceri. Quae omnia longe melius conveniunt sacri vatis personae, choros alloquentis suos, et eos, quorum ipse fortasse in aliqua minore sollennitate (non saeculari illa) praeceptor s. διδάσκαλος esset paullo post futurus. Denique aliquid passim latet in omni tenore et serie sententiarum, quod recenti argutiolae adversetur gravissime: tametsi

id quale sit, potius gustu quodam assequi quam ad rationes et calculos vocare licet. Nobis quidem, ne nihil attingamus ex hoc genere, minime videtur poeta v. 10. proprio vocabulo appellaturus fuisse *Mares*, si sub alienis personis agere voluisset. Itaque non dubium erit, quin ad priorum Intpp. auctoritatem revertendum sit, i. e. ad antiquum, quod in plerisque eiusmodi rebus verissimum est. Idem faciendum putamus etiam in alio postremorum versuum, ubi item errarunt venustiores nonnulli, tentata correctione, quae famis pestisque periculum tamquam rem indignissimam principe arceret. Evanuit periculum, aiunt, quum scribimus *principe*, non *et principe*. Quod posterius adeo quam insolens sit, qui non sentiant, esse posse admirantur. Nos illud non sentire ingenue fatemur, miramurque vicissim, esse potuisse, qui inter sacra hodie non audierint simillimas formularum sollennium preces factas pro salute principum; immo ablativum istum absolute positum, quocumque referatur, frigidum et insulsum putamus.

Ceterum illud unum fortasse responsum satis faciat illis, quippe ex nostris moribus petitum; nisi forte venustos nos et politos homine, repente mutato cultu, in sacris agrestes inhumanosque fieri putabunt. Quod ipsum sane etc.

XXVII.

Quum *philosophiae* nomen apud Graecos minime his angustiis, quibus hodie tenetur, inclusum, omnis sapientiae ac virtutis studia complectatur, perlate patet egregium dictum *Pythagorae*, quod Heraclide Pontico auctore Cicero (Dispp. Tusc. V, 3.) aliique veterum referunt, idoneum in primis, ad quod disciplinae novum cursum inituri, *Cives*, animos Vestros exploretis. Similem sibi dixit videri vitam hominum et mercatum eum, qui haberetur ludis Olympiis totius Graeciae celebritate. Nam ut illuc alii emendi aut vendendi quaestu et lucro compellerentur, alii corporibus exercitatis nobilitatem coronae peterent; esset autem genus quoddam hominum, idque vel maxime ingenuum, qui nec lucrum, nec plausum quaererent, sed visendi caussa venirent, studioseque perspicerent, quid ageretur et quo modo; ita nos in hac quasi scena vitae consti-

tutos, alios pecuniae servire, alios gloriae; raros esse quosdam, qui, ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam incorrupto sapientiae amore intuerentur: et ut illic liberalissimum esset, spectare, nihil sibi acquirentem, sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque praestare.

Digna profecto homine Graeco vox, id est populi liberalissimi, cuius omni tempore ea fuit sententia, ut nihil ne in ipsis quidem litteris compendii aut utilitatis caussa susciperet, et quodcumque verum, bonum pulchrumve obiectum esset, sincero ardore et prope libidine persequeretur. Quam unam rem quantum putatis efficere potuisse ad ingenia excolenda, ad mores poliendos, ad doctrinarum denique orbem splendidissimis inventis exornandum! Nobis quidem etsi non est dubium, quin vel sordidissima natio, et nihil praeter τὸ δημωφελὲς anquirens, multa, quibus hic civilis vitae ordo et cultus continetur, feliciter reperire et bene discere possit, ut raticionari, metari agros, calendaria facere, vectigalia publica regere, alia id genus plurima:

vix umquam fieri videtur posse, ut qui sordibus istis nondum detritis, earum artium, quae excellentiore quodam modo humanitatem fingunt, sacrarium intraverint, rite operentur, aut quidquam studio dignum referant; nedum nova inventa addant iis, quae a felicioribus ingeniis tradita acceperint. Sed haec cogitatio gravior est, et magis vacuam mentem poscit, si quis nostra tempora et hanc litterarum conditionem cum antiquis comparare velit, neque adeo est harum angustiarum.

Nunc illo Pythagoreo acroamate novo quasi mercatui litterario proludere volebamus. p.43. p.53. Vosque, *Commilitones*, admonere, ut, quo quisque Vestrum animo et consilio huc venerit, Vobiscum tacite expenderetis. Non ea quidem ratio et conditio vivendi est in nostris civitatibus, ut multis unice id, quod libeat, discere et meditari liceat; non praesto sunt servorum et ministrorum greges, quos, dum liberalioribus studiis ipsi vacamus, omni mercenaria opera, qua vita indiget, oneremus: sunt etiam litterata munera hodie constituta, multum ipsa quoque mercenariae operae habentia, quae

quum rei publicae plurimum intersit ab idoneis et rerum peritis administrari, eruditio et litterae quodammodo in opificium abire coguntur, ut, si ad talis muneris spem adspirare cupias, ante te collegii tamquam formulae adstrictum esse, collegiique fide testificari oporteat, quod in disciplinam rite adscitus, mox sollennibus modis posito tirocinio, in doctum corpus cooptatus sis; cuiusmodi testificatione ne ii quidem carere possunt, quos, publicos beneficiarios, veluti Athenis olim Prytaneum, villae Canonicorum alunt. Ut verbo dicamus, vix aliter hodie fieri potest, quam ut studia litterarum a plerisque quaestui mancipentur, nec ea solum expetantur, quae animo excolendo, sed et quae victui et necessitatibus vitae honeste parandis salubria fore videantur. Verum uti quotidie in vita videmus eos, qui famam popularem omnibus viribus aucupantur, quamvis imperitissimi cuiusque plausui secundis clamoribus sequacem, ea tamen ipsa non raro excidere; minime autem solidam illam gloriam consequi, quae recte factorum comes incorrupta est et perpetua: ita etiam studia qui intra miseras victus quaerendi angustias coërcet,

saepissime deseritur, et ne micam quidem eam, cui inhiabat, capit, merito delusus a Musis, quas patria sua olim in talium amatorum ministeria non adsuevisset.

Quid igitur? Nam profecto paucissimi Vestrum infitientur, se hoc vitae genus haudquaquam ea spe sectari, ut et fame simul et Musarum, vanorum numinum, amore pereant. Temperamento ergo fuerit utendum, in quo etiam compendiaria via est ad illud, quod quaeritis omnes, ut, quum quisque haud dubie potissimum ad ea studia animum appulerit, ad quae ipse animus incitasset, ita iis pertractandis operam detis, ut ea, etiamsi nihil commodi proponant, nullumque lucrum aut quaestum aliquando oblatura sint, aetatis feliciter improvidae ardore non segnius, quam maximis praemiis propositis, persequamini. Sic certissime spondemus, nemini ne id quidem, quod nunc magnifice negligat aut parum curet, olim defuturum esse.

Hoc animo agite etc.

XXVIII.

Qui vulgo Taciti operibus subiungitur, libellus de *Eloquentia*, etsi grandi illius ingenio indignus; neque nostro quidem iudicio a Quinctiliano, ut plures olim putabant; nec a Plinio minore, ut nuper vir doctus quidam, compositus; tot praeclaris sententiis et locis refertus est; unde vel litterarum Romanarum sub primis Caesaribus conversam faciem intueri; vel salubria monita de optima educationis et institutionis ratione haurire licet; omninoque; si non universus, in partibus tamen tantum laudis meretur, ut tam multis ulceribus atque adeo mutilatione foedatum doctissimus quisque merito doleat. Quorum vitiorum partem quum feliciter exemerint *Lipsius*, *Muretus*, *Acidalius*, *Gronovius*; tantum abest ut ceteri illorum vestigia sequuti sint aut felicitatem imitati, ut ne paratas quidem ab iis copias omnes ad emendandum et explicandum

adhibuisse reperiantur. Itaque plura etiamnum in *Ernestino* exemplo leguntur vitiose, quae ex prioribus quibusdam corrigere facile fuisset, alia temere in suspicionem adducuntur sana et proba, nec pauca denique sunt, in quibus diligentis et sollertis interpretis operam desideres. Qui autem paullo ante *Ernestium* et post eum ad hoc opus accesserunt, magnopere veremur, ne ii studii atque industriae plus quam facultatis et artis attulerint.

Ex isto triplici genere promiscue nunc exempla quaedam dabimus, *Commilitones*, eaque per alias occasiones augebimus correctionibus etiam impeditiorum locorum.

C. 1. *Nostra potissimum aetas deserta et laude orbata.* Hic omnis emendandi labor frustra sumitur. Nam primum adiectio *eloquentiae* in MSS. Vatic. glossam olet; ut Ernestii typographum, qui non recepit, potius quam ipsum, qui recipi iussit, sequendum censeamus. Et sustinent illi codices alibi quoque suspicionem glossarum. Ut c. 32, ubi ante *quidquid* nihil addi opus, non *inquit*,

non *ait*, non denique *refert*, quod indidem expromit Broterius. Nihil omissione horum verborum usitatius est huius aetatis scriptoribus. *Disertum* autem in priorem locum statim inferre pro *deserto*, quod plures volebant, anticipatio est doctis auribus molesta. *Deserta aetas* ut locus dicitur a paucis cultus, *comparatis multorum olim oratorum ingeniis*. Sic *gloriae* redditur *aetas laude orbata*. Honore artis amisso, ait, cessere etiam qui artem tractarent, ita ut nunc ne artificis quidem nomen relictum sit. — Paullo post praeferimus lectionem *existimandum habeam*. Tuetur eam libri cetera boni auctoritas, estque multo aptior loco, et doctior quam pro ingenio librarii. *Habere dicendum, existimandum* etc. genus loquendi est, Ciceronis saeculo prope ignotum, at huic nostro scriptori et aequaevis eius valde adamatum. Vid. c. 31. 36. et Intpp. ad Plin. Epp. I, 7. extr.

C. 5. *Ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveni — excogitari potest.* Olim plures spinae in hoc dumeto haerebant: restat post palmarium inventum Pithoei adhuc una, sed

sed insignis. Mirum in modum languet illud *quatenus*. Esse id *quoniam*, *quandoquidem*, nemo nescit. Ita iam Horat. Serm. I, 1, 64. ubi iunge, *Libenter quatenus*. Sed requiritur h. l. pronomen personae. Amplectamur ergo Mureti correctionem: QUANDO TE NUNC *arbitrum* — *inveni*. Codicum compendia et ductus litterarum qui norit, hoc ipsum per vulgaris scripturae vestigia agnoverit. — Mox eodem auctore scribamus: *omittit studium*. Sane dicitur *spem amittere*, dicuntur similia: *amittere studium* an Latinum sit; admodum dubitamus. — C. 18. recte praefertur ex MSS. *vocaverimus*, i. e. vocare licet; nec defendi potest vulgatum *vocaremus*. Longe alia ratio est enunciatorum, ubi boni scriptores imperfecta ponunt, Cicero in primis, cuius usus viro summo et hic et alibi saepe fraudi fuit. Sed haec res et usus omnino a Grammaticis subtilius declarari debuit, quam adhuc factum est, etiam respectu diversarum aetatum linguae Lat. — C. 37. idem dubitat de forma *clientulus*, corrigens: *Ne clientelarum loco potius quam patronorum numerarentur*. Non dicam huic coniecturae adversari

relatum *patronorum;* certe priscis in usu fuit *clienta*, Asconio *clientula*. *Clientus* quidem fortasse non fuit; sed meminerimus, ab *infante* esse *infantulum*, ab *adolescente* item *adolescentulum*.

Difficilior locus est c. 24. omnibus suspectus: *Quum praesertim — ratio temporum collegerit.* Hic alii *Apri* nomen adscribi volebant: alii subaudiendum id nomen putabant. Alterum violentum esset, alterum ingenio linguae contrarium. Non *oculis nutuque*, ut ille ait, Latini loquuntur pro substantivis. Neque par exemplum c. 25. extr. Vel una analogia fretus, Latine bene dici statuerim, *ratio colligit*, eo sensu quo Germ. *die Berechnung ergiebt.* Sicut enim in dialecticis dicitur, *ratio efficit, vincit, constat* etc., ita in alio genere ratiocinandi, usu numerorum, iisdem formulis locus esse debuit: quippe hic fons est translationis. In numeris autem proprium *colligere*: fere semper quidem de ratiocinatore, at etiam, ut opinor, de ipsa ratione. Simillime Plinius Epp. 2, 19, 9. *Omnes in utraque parte calculos pone, idque elige, in quo* VICERIT

RATIO. Ceterum hic Apri c. 17. putidam in temporibus computandis sedulitatem notari, manifestum est. Iam quid tandem in principio est, quod frigeat? *Tantum* subauditur, ut saepe fit. *Praesertim* vero propter ipsam paucitatem annorum adiectum est.

Sunt alia, ut diximus, ubi vera lectio ex priorum et meliorum exemplarium comparatione facile erui poterat. Itaque c. 9. leg. *Saleium nostrum, egregium poetam,* pro inepto isto per tot libros vulgato, *S. nostrorum egregium poetam.* C. 15. *Contentus* mutandum in *contentis.* Qui *contentum* vocarit contenta voce loquentem, neminem scimus, ne poetam quidem: nec vero illud huc pertineret. De commotis plausibus auditoriorum sermo est, non de Stentorea rhetoris declamantis voce. C. 30. quivis sponte ex Cic. suo corrigat *Diodotum* pro *Diodoro.* Ex eadem classe vitiorum illud est, quod tamen Lipsianas omnes ac deinde reliquas occupavit, c. 15. *Maligni* IN IIS *opinionem non verebaris.* Pro istis Acidalius coniecit IUDICIS, emendatione satis facili, ut ipse autem appellabat, ele-

ganti. Sed elegantiam quidem mallemus cuiuspiam boni auctoris exemplo quam tali praeconio probavisset. Nobis de elegantia contra videtur. Propiorem et vere Latinam lectionem servant plures vett. editt., postea diductam vitiatamque sola fortasse culpa operarum, MALIGNITATIS *opinionem*. Id primum conspectum nemo non simul verissimum iudicaverit.

Similis corruptio et emendatio Acidalii c. 10. ubi vulgo: *Hinc ingentes* EX HIS *assensus*. Ibi ille, EXSISTERE *assensus*. Quod cum Gronovio tum ferremus, si ex vitio isto nihil melius et sententiae convenientius elici posset. Nam *exsistere*, si quid sentio, h. l. animum legentis non explet. Scribendum conieci, *Hinc ingentes* EXCIRI *assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari* etc. Sic Curtius et alii huius saeculi eo verbo utuntur. Ceterum totus locus, dubitari licebit, an hodie satis integer legatur. Quippe hiat quodammodo, quod mox sequitur, *Tolle igitur*. Sed de hoc genere plura insunt libello, vix sine locupletioris codicis ope sanabilia.

Adhuc volebamus Vobis aliquid narrare ex c. 29. de praeceptoribus Romanis, discipulos suos alia quadam arte quam *severitate disciplinae* aut *ingenii experimento* colligentibus. Verum id priscam vetustatem olet, non huius nostri saeculi moribus convenit. Et chartam adeo iam consumpsimus, ut satiram scribere etc.

Sem. aßiv. 86.

Lectt. ed. pr.

XXIX.

In eximio *Plutarchi* loco, quem universum diligenter legi velimus ab omnibus, qui litterarum studiis sese dediderunt, inter cetera profertur lepide dictum *Antiphanis* de urbe nescio qua, tam acri frigori obnoxia, ut voces, statim civium ore emissae, gelu ita cogerentur atque indurescerent, ut, quae hieme editae essent, proximae demum aestatis calore solutae exaudirentur *). Festivum acroama

adeo

*) De prof. virt. sent. p. 79, A. Συμβαίνει τὸ τοῦ Ἀντιφάνους, ὥς τις εἶπε τῶν Πλάτωνος συνήθων. Ὁ γὰρ Ἀντιφάνης ἔλεγε παίζων, ἐν τινι πόλει τὰς φωνὰς εὐθὺς λεγομένας πήγνυσθαι διὰ ψύχος, εἶθ' ὕστερον ἀνιεμένων ἀκούειν θέρους, ἃ τοῦ χειμῶνος διελέχθησαν· οὕτω δὴ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος ἔφη νέοις οὖσι λεχθέντων, μόλις ὀψὲ τοὺς πολλοὺς αἰσθάνεσθαι γέροντας γενομένους. Ad quem Antiphanem dictum referri debeat, non operae putamus hic exquirere.

dicetis, *Commilitones*, adeoque, quomodo huic tempori ac loco conveniat, mirabimini. Nempe dictum coniecisse aliquem legimus in plerosque Platonis discipulos, qui, quae adolescentes ex illo audivissent, vix tandem senes satis intelligerent. Idem si quis hodie in partem eorum conferat, qui praelectiones obeunt et doctrinarum auditionibus operantur, non inepte forsan repetitum videri possit. Omnino habentur in omni disciplina multa, quae novitium, etiam optimi solertissimique magistri institutione utentem, primum audita fallere debeant, alia, quae minus accurate percipiantur, seu prave accepta in alium sensum mox detorqueantur, quam quo primum prolata fuerint, plurima denique, quae nisi accedente maiore usu litterarum propriaque doctrina, vix bene

Plures enim fuerunt huius nominis, quorum facile celeberrimus est Antiphanes, mediae Comoediae poeta, saepe Athenaeo aliisque laudatus. Sed huic dubitamus an recte imputari possit. Fortasse intelligendus erit Antiphanes Bergaeus, cuius meminit Scymnus Chius v. 658. Steph. Byz. v. Βέργη, cum aliis, quos ad Stephanum indicat Berkel. Opus eius laudatur Ἄπιστα,

comprehendi, nedum fructum suum habere possint. Quod quam saepe fit eorum maxime culpa, qui imparatiores seu ingenio seu animo, ad auditoria confluxerunt! [confluunt] Neque tamen id, quamvis ingratum accidat, tantopere movere probum strenuumque doctorem potest, ut illius spem omnino infringat, aut languefaciat industriam. Ita enim alibi quoque in rerum natura fieri videmus, ut semina, licet sedula manu sparsa, alia, quae rudi forte humo commiseris, omnino degenerent, alia diutius spe obruta iaceant, ac demum alio translata aliisve rebus iuncta emergant. At si emergunt [a] tandem, quamvis sero, optato accidit. Atque [um] hoc utinam de nostris laboribus omnibus augurari liceat, nec magistrorum dictis subinde eveniat infelicius adeo illo, quod de urbe sua Antiphanes narrarat, nimirum ut chartulis audientium prorsus indurescant, nullo tempore [plane] [numquam] vel solvenda, vel expedienda. Sed optimis ominibus votisque nobis nunc res agenda est.

Accipite igitur ~~etc.~~ auditiones, ex hac tabula indictas, tantumque ex iis fructus capite, quantum aut docentium beneficio & opera, aut ——— vestrorum animorum praeparatione & attentione in vos derivari potest.

XXX.

Repetamus nunc propositum antiquum nostrum, *Cives*, ut in hac proludendi opportunitate non, ut quondam solebamus, ludum seu perituram una hora voluptatem, sed communium, quae quidem vocantur, studiorum fructum quaeramus. Forte nobis *Tacitus* in manibus est, cuius ex primo libro *Annalium* aliquot locos percensebimus, qui adhuc minus sollerter illustrati sunt ab eruditis Intpp.

Cap. 7. in verbis, *Neque abscedere a corpore*, Ernestii quidem annotatio ad verum propius accedit; neque tamen satisfaciet accurate legenti. Nam ne *corpus* ad celebrationem funeris aut ad Tiberii ea super re sermonem in Senatu habendum trahamus, tum Latinitatis usus vetat, tum locus a Lipsio laudatus aliusque Curtii X, 7. extr., denique tempus instans verbi *abscedere;* quod, ut tempora

licenter mutet Tacitus, certe isto sensu adhibiturus non fuerat. Illa vero palmaria observatio est Boecleri, postremi membri sententiam rursus revolvi ad primum, quasi illud de custodia cadaveris interiectum sit. Itaque hoc dicit Tiberius: *relaturum se de sepultura patris, cuius corpori ut assideret, pietatem poscere; hanc Senatus convocationem unum esse ex Senatoriis s. Tribunitiis muneribus, quo fungi animum induxerit; idque omitti sibi non licere, quoniam ad Augusti honorem pertineat.* Hac oratione quid modestius esse potest in eo, quem successorem imperii sperabat Senatus metuebatve? Iam gravis significatio latet in ista παρενθήκῃ, eo spectante nimirum, ne quis illum iam aliquid moliri suspicetur ad occupandam rem publicam, videantque omnes, nihil nunc ei potius curâ venerandi corporis esse, sive custodiendi sive comitandi. Hoc enim edictum fortasse Nolâ vel ex via Romam misisse putandus est. Nolâ missi sunt, qui Agrippam necarent; Nolae sunt mandata ad exercitus distributa; iam Nolae quodammodo aula fuit. Quippe haud paucos intra dies omnia illa peracta esse arguunt Kalen-

daria vetera: et postero statim die, quam corpus in Urbem illatum erat, hic Senatus agebatur. Vid. Dio Cass. LVI, 31. LVII, 2. seq.

Cap. 54. in laudanda Lipsii emendatione, *coepta*, Editores conspirarunt omnes; omnes eam assumpserunt in ordinem, Tacito ipso infra auctore, aiunt. Quid ille affert infra c. 77.? Nempe *hoc anno coeptam theatri licentiam*. Tamne sero, et universam? Licentiam histrionum et fautorum iam dudum sub Augusto pantomimorum amatore studiosissimo invaluisse, et ipsa res et historiae loquuntur. Iam Horatius plebem in theatro viderat *depugnare* Ep. II, 1. 184. *paratam, si discordaret eques*. Minime ergo totum hoc genus licentiae *tunc invectum* dici potuit, quum ludi Augustales darentur; sed hos ludos *tunc primum institutos* turbavit discordia quaedam. Hoc affert vetus lectio, quam non solum ferendam, sed coniecturae etiam praeferendam censemus. Nam *primum coeptos* licebat dicere *ludos*, qui tunc primum sollemni modo acti, et sive celebrati novum in modum, sive instaurati a Senatu essent. Non enim est dubium, quin hi iidem ludi sint, quo-

rum pars, Circense ludicrum, supra c. 15. in hunc annum Tribunis plebis concessum dicebatur.

Tertio quodam loco c. 59. ne nobis quidem in vulgata scriptura acquiescendum, at illa tamen aliter emendanda videtur, quam a Lipsio, Grotio, Freinshemio factum est. Grotianam quidem rationem ornavit Gronovius eleganterque explicuit; verum illud miramur, qui ei probari potuerit languidissime additum *homines*, quod nusquam apud Tacitum ita legi contendimus. Primum vero vitiosum esse *hominem*, nemo dubitabit. Nam oratio statim conversa ad *rem*, quae inexcusabilis dicitur, *hominis*; cuius illud commissum sit, commemorationi repugnat; quatenus obiectivus casus inest his ipsis, *Quod — viderint*. Quamquam id ferendum esset, si huius verbi loco legeretur *adduxerit* aut simile quidpiam, quod a Segeste penderet. Etiam hoc argueris, quam ridicule loquatur Arminius, si optare videatur, ut invisus socer excusationem et veniam impetret? Praeterea alia quoque parte laboramus in hoc loco, siquidem *sacerdotium* sic

nude prolatum loquentis animum non explet, et excidisse videtur aliquid, quod peregrinae religionis contemptum indicaret. His incommodis omnibus medebitur coniectura nostra: *Redderet filio sacerdotium Romanum: Germanos* etc. Nunc demum verbum *accusandi* nativa fungitur potestate, quam obscurare temere volebat Gronovius; simul ita vis et vigor redditur sententiae. etc.

XXXI.

Haerebimus nunc quoque, *Cives*, in *Taciti* primo *Annalium*, eoque lubentius, quod inter reliquas lectiones, ad quarum auditionem Vos nunc denuo vocamus, etiam illius scriptoris publica promittitur interpretatio. Superest enim in hoc ipso libro uberrima de locis obscuris bene merendi materies, sive emendationem spectemus verborum, seu curiosiorem sententiarum explanationem. Ex utroque genere iam pauca delibemus.

Initio statim libri, ubi rebus Augusti perscribendis aliquamdiu non defuisse narrat *decora ingenia* historicorum, *donec gliscente adulatione deterrerentur*; in duas partes discedunt Intpp., alii vulgatum probantes, alii, in quibus principes sunt Lipsius et Muretus, leniter corrigentes *detererentur*. Atque ad posterius hoc inclinant elegantissimi translatores nostrorum temporum, Hispanus, Batavus, Galli

aliquot. Gronovius contra subtiliter, ut solet, ostendit, *deterrendi* vocabulo eandem plane vim subesse, quam *avocandi* seu *avertendi*. Qua significatione *deterrere* dici, vel in levissimo terriculo, satis constat, beneque docuit Broukhus. ad Tibull. I, 3, p. 57. Nunc vero unum hoc dubitandum erit, uter sensus Tacito, uter *decoris*, quae appellat, *ingeniis* magis conveniat. Nempe generosi spiritus scriptores si adulatione saeculi *deterrentur* a tractando opere *periculosae aleae plenissimo*, si id aliorum curis aut cupiditatibus relinquunt, nihil ipsi suo decore ac persona indignum faciunt: at si *deterentur* communi labe, infectique accedunt ad scribendum, vix eos decoro nomine dignos habeas. Iam quum Histor. I, 1. post Actiacam victoriam dicantur magna ingenia *cessisse*, ibi prius illud, non hoc, indicari apparet. Nam de ipsius Augusti principatu, et extremis quidem annis eius, intelligenda sunt verba, *donec gl. adul. deterr.*, non de rebus insequentium principum. Adeo Velleium, ut nonnulli suspicantur, neutra lectio tangeret. Muretus autem non est audiendus, cui verbum *deterendi* venustatem trahere

ex contraria notione *gliscendi* videbatur. Nam falso acumine adscita foret talis comparatio. Denique cogitetis etiam absurdam iuncturam: *Exstiterunt ingenia decora, donec fierent deteriora.*

Similiter c. 6. vulgatum *nuncianti* contra Drakenborchii et Ernestii crisin defendendum uniceque tenendum putamus. Legitimum quidem esse verbum *renunciare,* eodem fere modo quo hodie *rapportiren,* nemo ignorat. Sed legitima et propria haud raro optimi scriptores spernunt consulto: idque h. l. promptius erat ob memoratum *morem militiae.* Ita inferius *Virgines Vestae* vocantur, quae *Vestales* sunt publico vocabulo; adeo ut Dionysio Hal. opus videretur facere τὰς Ἑστιάδας. Accedit, quod verba simplicia more poetarum praeferuntur saepe compositis. Ut c. 7. *posuit edictum* est *proposuit,* quod ipsum ibi sine caussa legere volebat Muretus. Ceterum Suetonium c. 22. et alios tenuioris generis cum centurionibus loqui facile patimur.

Sequitur paullo post impeditus in primis locus c. 8. de legatis Augusti, *non ultra civilem* *mo-*

modum progressi, *nisi quod Populo et Plebi CCCCXXXV, praetoriarum cohortium militibus singula nummûm millia, legionariis autem, cohortibus civium Rom. CCC nummos viritim dederit.* Haec usitata hodie scriptura est, cuius depravationem unus acute sensit Gronovius pater, sed nemini adhuc auditus. Quod antequam persequamur, monendum est, pecuniae populo plebique legatae distributionem ita intelligendam esse, ut, quod Princeps donarat populo, delatum sit in aerarium ad publicos usus; quod plebi, tributim vel vicatim pernumeratum. Qua de re cur Lipsio secus videatur, non reperimus. Iam in proximis, duplici modo corruptis, unicus cod. Flor. habet *legionariis aut coh. civium Rom.* CCC; ubi ex vocula *aut* Beroaldus fecit *autem*, admodum pingui Minerva. Inde qui fluxerint novi errores, verbo attigisse suffecerit. Freinshemius legebat *legion. autem et coh.* Ernestius vero fideliter sequitur Beroaldum, copulam *et* a Tacito omitti potuisse putans. Id vero, etsi per se verissimum, h. l. ineptum esse sentiet, quisquis verba legerit, ut decet, sublatis notis interpunctionis. Tum ipsâ adversa-

tivâ *autem*, frequentissimâ illâ apud Ciceronem, adeo Tacitus parce utitur, ut eam ne semel quidem in hoc toto libro posuerit. At, inquit iste, error forsitan fuerit aut negligentia Taciti, cohortes urbanas et milites legionarios uno ordine habentis, quum hos aliquanto minus quam illas accepisse ex Suet. Aug. c. 101. et Dione LVI, 32. constet. Quem ad Dionis locum Reimarus aliud quiddam notat, a Tacito omnino praetermissas cohortes urbanas; ut ille adeo legendo coniunxerit *legionariis cohortibus*, quae ratio, olim pluribus probata, legionem antiquam cogitanti facile in mentem venire potest. Verum huc nullo modo pertinent *legionariae* illae *cohortes*, distinctae ab *alariis*, i. e. *cohortes Romanae*, legionibus attributae, a *peditibus sociorum*, qui militabant in alis; hic *cohortes civium Rom.* nullae aliae sunt, quam quae vulgo *urbanae* vocantur, quas sive *tres* sive *quatuor* numero, Augustus, quum politiam ordinaret, una cum septem cohortibus vigilum custodiendae urbi instituerat. Conf. Annal. IV, 5. et Dion. LV, 24. ibique Reimar. Hos igitur *urbanos milites* in Augusti testamento lautius tractatos esse

legionariis, prudentem scriptorem eo minus latere potuit, quia eadem ratio fuerat testamenti Tiberiani, auctore Dione LIX, 2. Neque negligentiam, quam supra dixi, aut errorem obrepsisse verisimile est in re gratissimae apud vulgus memoriae. Iam ut ad verba revertamur, non defuerunt etiam, qui illud codicis *aut* defenderent, sicut Gronovius filius et nuperus editor Bipontinus, qui ei particulae vim simplicis copulae tribuunt, locis quibusdam perperam intellectis decepti. Denique Broterii levitas ne memoratu quidem digna est, quum non magis quam reliqua commenta veram attingat difficultatem. Id unâ fit felicissimâ Gronovii maioris emendatione, quae e depravato isto *aut* elicit numeralem notam CCC, atque simul proximo versu CCC mutat in CCCCC. Longiores esse nolumus ut demonstremus, quam foede a librariis ubique habitae sint notae istae numerorum, ita ut eas modo confunderent inter se, modo in vocabula indoctissime mutarent. Sic alicubi *ecce* ortum est ex *cccc*, sic alia nata etiam ineptiora ludibria calami. Quibus in rebus quisque, membranas tractans, fidem facile habet oculis suis, quam rudis narranti pertinaciter abroget.

XXXII.

Ad Tacitum redeamus, *Commilitones*, redibimusque etiam aliis temporibus, ut eius locos aliquot vel impeditioris interpretationis vel a librariis depravatos illustremus.

Lib. I. c. 1. *extremo* miramur, nemini suspectum fuisse voc. *falsae*. Nam quid illud est, *Tiberii, Caii, Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis, ob metum* falsae; *postquam occiderant*, recentibus odiis *compositae sunt?* Non magis placent Latine *res falsae compositae*, quam *fallere res gestas* s. *historiam*, quod posterius prorsus nihili est. Nimirum esset aliquid, si *falsae* eum haberet sensum, quo barbare *falsatae*. An igitur *falso* legendum, vel potius *false?* Forma haec proba est et priscae Latinitatis, quam Tacitus amat impense. Iam huic adverbio commode reddatur ablativus adverbialis, *recenti-*

bus odiis. Simile vitium, minutum quidem sed turpe, c. 3. inhaesit optimis exemplaribus, etiam Ernestiano, *integra* etiam dum *domo sua.* Scrib. *etiam tum*, i. e. *tum adhuc*, uti vulgo loquuntur.

Eodem capite quamvis longa nuperrimi Editoris oratio non sufficit ad explicandum *Collegam imperii.* De Tiberio agitur, qui *se in partem principalium curarum ab Augusto vocatum* ipse testatur c. 11. Eam ad rem satis erat laudare Velleii II, 121. et Sueton. Tib. c. 21. Quippe ibi narrata, quae, si recte interpretamur Velleium, ad A. U. 765. pertinent, hanc *Collegae* appellationem vel certe vim eius designant. Nam nomen hoc fortasse isto tempore non fuit in usu publico. Conf. Dio Cass. LVI, 28. ad a. 766. *Perpetuum* autem *imperium proconsulare*, quod Ernestius huc trahit, an umquam Tiberio datum sit, dubitamus; ea quidem vi, qua id primum Augustus, mox Germanicus accepit. Vid. Dio LIII, 32. Quod si datum esset lege, per Coss. lata, appellationem illam haud dubie adiecisset eorum aliquis scriptorum, quos supra nominavi. Ita-

que etiam ad Suet. l. c. errare opinamur eundem Interpretem. Quid vero hic ad Tacitum dicat, vix satis assequimur. *Imperatoris* enim nomen, quod paullo ante memorabatur Tiberio Drusoque simul tributum, nunc iterum inculcari non potuit; neque ei rei nomen *Collegae* conveniebat.

C. 4. *princ.* omnis scrupulus eximetur virgulâ, quae *aegro* praefigitur, deletâ. Tacito aliisque istius aetatis nihil tritius est postposito *et*, non ad morem poetarum, sed ut sit *etiam*, *adeo*; quo significatu nondum utitur saeculum Ciceronis. Provectior aetas Augusti *etiam* morbis conflictabatur. Sic duo membra apte constringuntur in unum. Freinshemii coniecturae, *animo* allinentis, atque allato per illum exemplo Livii XXXVIII, 29. ipsius exemplum Freinshemii obverti poterat Supplem. Liv. LXXXIX, 37. Neque rectius coniecit Wopkensius, *postquam provecta iam senectute aeger, et corp. f.* — Paullo post in vulgi rumoribus frustra sollicitatur verbum *premuntur*. Favet huic non tam alius locus (Hist. I, 26.) quam ratio rei ac proprietas sermonis. Vitia animi

premere, virtus est; id vero est *coercere* ea et *compescere*: at significationes eorum nobis incautis et imprudentibus erumpentes *premere*, h. e. *occultare et oculis hominum subducere*, simulatio est virtutis. Haud abnuerim, figurate etiam alterum dici posse, sensu fere eodem, sed in alia collocatione verborum.

C. 5. veram scripturam praestamus, *acribus custodiis*. Apud Livium XXXIX, 19. est *custodia intentior*, voce plane συνωνύμῳ. Mox, ubi *Agrippam centurio aegre confecisse* dicitur, *quamvis firmatus animo*, forsan *animi* corrigendum est. Certe ita a Sallustio, Taciti deliciis, construebatur *firmatus*, teste *Arusiano Messio*, libello *Elocutionum*. Ibidem *aegre* est de obnitente praevalido homine, et, quantum nudis manibus poterat, ictus reddente. Conf. Annal. XVI, 9. Falso Broterius centurionis misericordiam intelligebat.

XXXIII.

Addamus observationes nonnullas de impeditioribus quibusdam locis *Taciti;* ut iis Vestrum, qui antiquarum litterarum studia aemulamini, ne finitis quidem lectionibus doctrinae pabulum desit.

Lib. I. cap. 10. Triumvirorum *proscriptionem civium, divisiones agrorum, ne ipsis quidem, qui fecere, laudatas,* dicunt reprehensores Augusti. In quibus *ii qui fecere* nulli possunt alii esse quam Triumviri; ex quo sententia nascitur, in quamcumque partem traxeris, inepta et imperfecta. Restituetur autem simul et veritas et gravitas, si ex Mureti ingenio legatur *qui cepere;* cui coniecturae a Bipontino Editore, ut saepe alibi, futiles ratiunculae quaedam oppositae sunt. Abuti iste speciosius poterat simili loco Hist. I, 6., ut vulgatum dici videretur de mensoribus ex partibus

Triumvirorum. Sed cui placere hic potest harum operarum mentio? Immo quod in tali genere largitionum Cicero de Off. II, 22. accidere ait, ut eas plerumque sperata gratia non sequatur, id in illa agrorum divisione accidisse, clare testatur Suet. Aug. c. 13. Ita ad probabilitatem ex ipsius rei natura accedit etiam diserta probati testis auctoritas.

Paullo infra *eod. cap.* perperam hucusque edebatur, *qui Tedii et V. P. luxus.* Illi pronomini nullus hic locus est, nulla adeo auctoritas: nam in uno, cui hos priores libros debemus, codice legebatur *nuberetque Tedii.* Unde certissima emendatione scribendum esse *Quinti*, facile coniiciat, quisquis Latinos codices versavit. Nam eo modo saepissime depravatur illud praenomen; tum omnino abesse tale nomen hic non potest. Sed nuperus iste Editor, videlicet acutius cernens, post longae disputationis taedium nos donat coniectura sua, *nuptaeque taedia.* Haud vidi magis: hoc, opinor, nemo non videt, malevolis vulgi linguis unum exemplum luxuriae satisfacere non potuisse. Ceterum de altero nomine, ac

persona *Tedii* seu *Atedii*, nihil compertum habemus. Neque animus fert, nobiles popinones omnes simili nomine exagitare ex lustris suis, hoc ipso *Tedio* nihilo notiores. Si tamen similitudo nominis sufficiat, ex proximo ceperim *Q. Pedium*, Augusti coheredem, (Suet. Caes. c. 83.) cui nebuloni nullus Intpp. adhuc manum iniecit.

Cap. 15. in verbis, *mox celebratio annuum ad Praetorem translata*; veterem lectionem sibi reduxisse videtur Ernestius, quam nos vetustum vitium putamus. Quod enim codex praebuit *annum*, id non *annuum*, sed *annua* legi oportebat. Ferri posset, si scriptum esset, *annuum magistratum*; nunc vero nomine magistratus addito frigidum et absurdum fit adiectivum; idque sibi ipsius sententiae vi adsciscit *celebratio*. Nempe qui alteri scripturae favebant, errabant in eo, quod ludos illos iam ante hoc Senatus decretum statos et quotannis celebratos crederent. Id autem non liquet ex locis Dionis Cassii, LIV, 10. 34. LV, 6. LVI. 29. et 46. sq. Sed ut illud pro comperto sumamus, quotannis celebratos ludos

esse, (credibilem rem facit adulatio saeculi,) ex uno tamen istorum locorum plane apparet, a. U. 743. a Senatu nihildum constitutum vel ordinatum fuisse in singulos annos. Neque, si ita esset, fieri potuisset, ut nunc, quasi nihil actum esset, Tribuni plebis operam suam et sumptus offerrent, aut de modo celebrandi ulla consultatio apud Patres oriretur. Aliud quiddam, quod nostrae scripturae firmandae utile fuerit, contra Lipsium nuper attulimus ad cap. 54. Iam una restat dubitatio, a Freinshemio mota. Putat is, infectum verbum *vocarentur* ex obliqua oratione pendere, ne Augustalia tum demum in fastos relata nomenque adepta videantur; petitionem eius generis modum Tribunorum egressuram; itaque eos dixisse *ludos qui — Augustales vocantur*. At haec sermonis ratio, apud Ciceronem certissima, multum cautionis habet apud Tacitum, quod certissimis exemplis doceri potest. H. l. certe, si illud voluisset, non tanta ambage, sed simpliciter *Augustales* scripturus fuisset. Neque videmus, quae lex aut consuetudo magistratum, qui ius relationis haberet, ab illa re addenda absterrere potuerit. At Dio repugnat,

aiunt. Nondum credimus. Licebit tamen repugnet is, qui Augustalium nomine tam parum accurate utitur, ut quemvis prope diem, in Augusti honorem celebratum, ita appellare soleat. Conf. Fogginius de Fastis Praenest. p. 133.

Cap. 70. ubi nunc ex Lipsii coniectura legitur *sapiens ab imprudenti*, Cod. habuit *a prudenti.* Hoc forsan uno loco Lampugnani larva, cum Lipsio pugnans, proxime accessit ad verum. Leniter ea correxit *sapiens ab rude.* Sed ex bonorum scriptorum animadversione et regula Plinii mai. apud Charis. I. p. 114. ac Prisciani VII. p. 767. debebat esse *rudi*, non *rude.* Inde vitio irrepsisse primum videtur *aprudi*, tum corrector aliquis dedit *a prudenti.*

XXXIV.

Pegasum, ICtum Romanum, quem iis Vestrum, *Commilitones*, qui eandem scientiam profitemini, non ignotum esse putamus, vetus *Scholiastes Iuvenalis* (ad Sat. IV, 77.) tradit, *iuris studio tantam gloriam meruisse, ut Liber vulgo, non Homo diceretur*. Adeo igitur is valuit memoria, ut immensam multitudinem legum, et quidquid in illo populo legum vim obtinuerat, animo suo infixum teneret, nec de ulla re, de qua libri iuris silerent, frustra consuleretur. Ac sane magna laus est ICti, prompte respondere consultoribus, neque eam prudentiam, quam ceteri petunt a prudenti, (ita enim hic ordo olim vocabatur *),) necesse habere ex istis rivulis et lacunis petere, quae docto iuxta atque indocto patent.

*) *Verständige*, pro eo quod usitatius dicimus, *Rechts-Verständige*.

Sed aut nos penitus nescimus, quid hodie in vita honestum sit, aut illa *Pegasiana* gloria nemini nunc doctorum admodum expetenda videbitur. Nam ex quo *hominis* dignitatem et iura acrius exquirere coepimus, nemo tam stulte amat studia litterarum, ut vel nobilissimo ex iis parto nomine nomen *hominis* bene compensatum putet, nedum ut patiatur se vocari rem, cuius saepe non magna dignitas, neque ullum ius in re publica sit. Accedit, quod iam dudum nulla vis animi humani magis eviluit quam memoria. Ab hac laudari plerisque idem est atque notari et capite deminui: ingenium ambitiose extollimus, ingenii laudem affectamus; et quo ea nobis paratior sit, ex prisca significatione vocabuli tantum detrahimus, quantum ingeniosae nostrae desidiae placet. Iam quum in hac doctrinarum luce omnia libris circumfluant, et summa facilitas sit litterarum chartis imprimendarum, cur non tandem prorsus desinimus litteras inprimere memoriae, levamusque eam molesto onere, cui olim *rudibus saeculis* nimis patienter assuevit? Ingenio certe pollentes decet *nihil aliud nisi cogitare;* cogitandi materiam qui aggerant, quasi

asini onerarii, in promptu non desinent esse libri. Bella hercule res est copia librorum, praesertim id genus eorum, quod ad usum accommodate digestum est, atque capitibus et lemmatis apte distinctum, in calce denique commodis instructum indicibus, ex quibus nullo non tempore et loco sapere liceat.

Sed omittamus iocum de inepto nomine. Illud gravius est et huic loco aptius, quod ex illo nobis in mentem venit quaerere, cur nemo prudens umquam in laude doctoris posuerit, *quod doceat ut liber*. Sic enim inflexa vox non modo nihil offensionis habere, sed eo ipso etiam commendabilis magister esse videatur, si docendo in modum libri efficiat, ut ii, qui audiunt, libris facile carere possint. Ac nescimus adeo, an hic academicus orbis litterarum nonnulla contineat, in quibus nihil aliud reliquum sit doctori, quam ea in breve contracta explicate afferre, quae ab aliis multis egregie tractata et prorsus ad liquidum perducta sint. Verum sicut in his quoque *vivam vocem* vere aiunt melius erudire, quam tacite lectos libros; ita hanc laudem vivae vocis non potest is

mereri, qui auditoribus librum aliquem sive suum sive alienum vel clarissime recitat, vel iis tanquam lectoribus ita omnia mansa apponit, ut solius manus ministerio egeant. Neque enim ideo vocamini *Auditores*, ac non potius scriptores seu notarii, quod aures omnia, quae accipiunt, calamo tradere debeant excipienda.

Familiarem sermonem oportet esse lectionum, varium illum quidem pro varietate rerum et multiformem, neque tamen ulla parte similem libri, nisi forte ita appellandum est, quidquid bibliopego velandum datur. Immo in magna parte disciplinae nostrae id praecipue agimus, ut discatis recte et scienter libris uti, et, quod maximum putamus in omni institutione, quorsum animus potissimum in cuiusque rei tractatione intendendus, atque quo modo vis intelligendi ac ratiocinandi componenda sit et temperanda. Nam nemo ne ex uberrima quidem materia, seu eam ex vulgaribus rivis hausit, sive ipse, id quod non paullo melius est, ex fontibus collectam attulit, satis magnum fructum percipere potest, nisi qui mentis aciem ad intelligendum et cogitandum

bene

bene composuerit. Hoc autem nullus liber est qui doceat pro magistro; si modo id omnino *doceri* potest, et non potius *disci* ex iis, qui usu callent, et, quemadmodum in eo versentur, auditorem non dissimulant. At alia pars academicae disciplinae iis rebus continetur, quae parum adhuc vel animadversa sunt vel explorata. In quibus quum materia studio, atque expoliendae materiae ratio novo acumine perscrutanda sit, inde quaedam propriae huic generi leges nascuntur et docendi et audiendi.

Quas vellemus accurate exponi hic locus sineret. Nunc id unum monere vacat, etiam has partes male doceri, si ad modum et formam libri doceantur. Neque, qui ita facit, multum complecti poterit doctrina: unius enim horae institutio saepe multorum librorum occasiones praebere debet. Itaque, ut auditioni suus constet fructus, in his disciplinis ea verbo attingenda sunt, quae priores recte illustraverunt, in iis autem tanto diligentius haerendum, quae adhuc neglecta iacent, aut

multorum erroribus turbantur, denique ut quaeque res maxime auditoris sollertiam et subtilitatem intelligendi subigat et informet, ita ea prae ceteris curiose pertractanda est etc.

XXXV.

Quum nulla sit pars bonorum librorum, in qua offensiones vel sententiae obscuritate vel scripturae depravatione obiectas aequo feramus animo; nusquam tamen molestius est haerere et titubare, quam in ipsis principiis ac velut primo limine. Exemplum huiusmodi habet *Apollonius Rhod.* I, 8., quo in versu si, refutatis clarissimorum virorum emendationibus, vulgatam lectionem restituere et ex mente poetae explanare potuerimus, non ingratum id erit iis Vestrum, *Commilitones*, qui Graecas litteras in partem studiorum assumpsistis: ceteri haec ut puram chartam transmittant, statimque ad illa properent, quorum caussa haec ex more scribuntur.

